

**Botan.**

**1310**







Phys: 2866. b








TRACTATUS  
*&c*  
ARBORIBUS CONI-  
FERIS ET PICE CON-  
FICIENDA.

*Aliisq; ex illis Arbo-  
ribus provenien-  
tibus,  
Operâ*

*JOHANNES CONRA-  
DI BXGVI AED. Lti.  
Accessit in Fine Epi-  
stola de Antimoniis.*

*Ienae  
Apud Joh. Biedcken.  
1679.*





TRACTATUS  
DE  
ARBORIBUS  
CONIFERIS  
ET  
PICE CONF-  
CIENDA,

Aliisque ex illis Arboribus  
provenientibus,  
in lucem editus

JOHANNE CONRADO  
AXTIO,  
Medicin. Licentiato.



JENÆ,  
Impensis JOHANNIS BIELKII,  
Bibliop.

---

Typis SAMUELIS KREBSII,  
M. DC. LXXIX.

ZUERST  
SIEHE  
DIE  
SCHLACHT  
VON  
SIEGEN  
IN  
DIE  
ZWEI  
TAGE  
VON  
ZWEI  
ZEHNTEN  
JAHRE

IN  
DIE  
ZWEI  
TAGE  
VON  
ZWEI  
ZEHNTEN  
JAHRE

*Viris Magnificis, Nobilissimis, Amplissi-  
mis atque Experientissimis*

**Dn. HERMANNO  
CONRINGIO,**

*Philosophiæ & Medicinæ Do-  
ctori, hujusque ut & Politices in  
Academia Julia Professori cele-  
berrimo,*

**Dn. HENRICO**

**MEIBOMIO,**  
*Medicinæ Doctori, hujusque  
in Academia Julia Professori ex-  
imio, nec non Serenissimi Ducis  
Brunsuicensium & Luneburgen-  
sium Archiatro,*

*Dominis Praeceptoribus, Fautoribus at-  
que Patronis suis et atem  
venerandis*

*Omnigenam Prosperitatem à Deo  
precatur*

**JOHANNES CONRADUS AXTIUS.**



**S**ed On ignoro, Viri celeberrimi,  
**N**on me Vobis plus debere, quām  
unquam rependere possum.

A Vobis enim habeo , quic-  
quid in Arte Medica possideo, Vos me  
plus quām paterno amplexi estis amo-  
re, omnia quæ ad excolenda mea stu-  
dia fuerunt utilia Vos & viva voce &  
Scriptis mihi suppeditastis. In primis  
Tu Nobilissime Domine MEIBOMI  
beneficiis & liberalitate tua me Tibi  
ita obligasti , ut , quomodo debitum  
persolvam , equidem nesciam. Tu  
non solum me Arte Medica imbuisti ,  
sed insuper in mensam suscepisti , & a-  
lia necessaria per biennium gratis  
præbuisti. Ideoque me recte facere  
autumo , si Vos Parentum loco atra-  
tem honorem , semperque adnitar, ut  
Vobis pro tantis beneficiis in me  
col-

EDIZIONE DIGITALE DELL'ARCHIVIO

## DEDICATIO.

5

collatis gratiam referam , vel saltem  
habeam. Sæpius autem cogitanti ,  
quid Vobis rependam , lese obtulit hic  
libellus , quem lubens Vobis offero.  
Fateor quidem esse parvum , sed præ-  
fixa Vestra Nomina facient magnum.  
Accipite hunc tanquam debitæ in eæ  
erga Vos gratitudinis exiguum si-  
gnum , meque uti olim , sic nunc fa-  
vore vestro prosequimini. Valete  
Viri Optimi , mihi que ut hactenus  
fecistis , imposterum favete. Dabam  
Arnstadiæ pridie Calend. Aprilis  
1679.

A 3 Bene-

AD LECTOREM.

*Benevolo Lectori*

Salutem dicit

JOHANNES CONRADUS AXTIUS.

Habes h̄ic, benevole Lector, de-  
scriptionem Arborum conifera-  
rum, in primis autem Abietis, piceæ &  
Pinastrī cujusdam paulò accuratio-  
rem, quia, quæ in illis observandas  
sunt, præsens observare potui. In  
his invenies quædam à me negata,  
quæ alii affirmarunt. Affirmant nem-  
pe Abietem & Piceam florere, quod  
est falsum, rudimenta enim conorum  
rubra putarunt esse flores. Adscribunt  
Piceæ folia nigriora, latiora, mollio-  
ra, leviora, minus pungentia, quod  
est falsum, talia enim in Abietibus ob-  
servantur, non in Piceis. Adscribunt  
Abieti conos longas, quòd itidem  
falsum, breviores enim sunt Abietis  
coni,

AD LECTOREM.

coni , Piceæ autem multò longiores.  
Crede mihi omnia hæc diligentius  
coram contemplanti. Addidi etiam  
descriptionem reliquarum Arborum  
coniferarum , sed minus accuratam ,  
quia illas nostris in locis contemplari  
non licet. Adjeci insuper modum col-  
ligendi resinam & conficiendi picem ,  
quem hactenus à nemine ita esse tra-  
ditum memini. Disserui etiam pau-  
ca de aliis rebus ex his arboribus ve-  
nientibus. Addidissem etiam vires &  
usum medicum harum rerum , nisi  
mihi quædam , quæ huc spectant , de-  
essent. Has autem propediem , Deo  
volente , publici juris faciam , præ-  
sertim si hicce labor tibi erit gratus.  
Quid sibi epistola subnexa velit , ex  
ipsa intelliges. Vale.

A 4

CAP.



Σὺν Θεῷ.

CAPUT I.

*De Abiete.*

**A**udem faciendæ picis de-  
scripturus non abs re esse  
judicavi , si de arboribus  
resiniferis aliquid in ante-  
cessum differam. Arbores  
autem resiniferæ aliæ producunt co-  
nos , aliæ baccas , aliæ otros fructus.  
**H**ic tantum de coniferis agam & pri-  
mum de Abiete. **A**bies , Græcè ἐλά-  
τη vocatur , quæ vox aliàs etiam signi-  
ficit involucrum fructus palmæ arbo-  
ris imò ipsum fructum. Gallice *Sapin*  
& *Avet* , Italicè *Abete* , Hispanice  
*Abeto* , Germanicè , eine *Danne* / *Dan-*  
*nenbaum* , Estarbor procera & excel-  
sa ,

sa, pinumque altitudine superat, caudex ejus rectus est, inferius enodis, æqualem ferè crassitatem habet usque ad ramos. Hæc pars vocatur à Plinio lib. 16. cap. 33. & Vitruvio lib. 2. cap. II. *Sapinus*, superior autem pars nodosa, *Fusterna*. Errat itaque Bellonius, qui peculiare genus ex Sapino facit. Cortex ejus est albicans & fragilis. Rami in circulum circa truncum crescunt, interdum quatuor, interdum quinque, interdum sex aut plures, & hoc continuant usque in cacumen; singulis enim annis novam congeriem ita arbor protrudit, ut facile inde colligere possimus, quot annorum sit arbor. Quidam ramorum sunt in terram reflexi, quidam non, sed prius fieri puto à pondere musci albidioris, qui sæpius copiosissimè in ramis abietum provenit. Utrinque surculos ut plurimum habent instar crucis; ut plurimum dico, interdum enim unus tantum surculus

J. 399218432

culus ab uno tantum latere prorum-pit. Scribunt autores, quod folia u-trinque ex lateribus ramorum emer-gant, quod tamen falsum esse testan-tur abietes saltus nostri Thuringiaci, proveniunt nimirum folia non solum in lateribus, sed etiam in superiore & inferiore ramulorum parte, sed illa ita ad latera se deflectunt, ut intuentibus tantum ex lateribus emersa videan-tur. Nostræ folia habent in superiore parte non quidem dilutæ, ut alii scri-bunt, sed saturæ viriditatis, aversâ au-tem paululum candicantia, quæ ex superiore parte erumpunt breviora sunt, quam quæ ex lateribus & infe-riore parte. Plinius lib. 16. cap. 24. scribit: *folia esse infecta pectinum modo, piceæ, abieti.* Quid vocabulo illo *in-fecta* vult, equidem nescio: folia enim minime sunt infecta, sunt tamen ita ferè disposita, ut dentes in pectine. Hinc falsum est, quod Dodonæus  
Pemptad.

Pemptad. 6. lib. 5. cap. 6. scribit: *folia ramulos ac eorum propagines nullo ordine digesta circumdant, oblonga, teretia & leviter mucronata*. Neque enim ramulos circumdant, sed ut dixi, omnia ad latera se flectunt, neque etiam sunt teretia, sed latiuscula, foliis taxi fere similia, & semper virentia. Scribunt autores, quod leviter pungant, sed minimè pungunt, in acumine enim in minutissimam furculam dividuntur, partes tamen illæ non ita acutæ sunt, ut pungant, in medio linea quadam secundum longitudinem sunt notata. Lignum habet album, molle & leve. Theophrastus 3. de histor. cap. 10. dividit in duas species, in masculam nempe & fœminam, quæ foliis inter se distant. *Mari*, dicit esse acutiora, magisque pungentia, flexaque magis. *Quamobrem aspectu crisiportata arbor videtur: quin & materia differunt. Nam fœminea candidior, mollior,*  
*operi-*

operibusque facilior, atque totus caudex procerior. Mari autem variatione, latior, durior: medulla refertior, atque in totum aspectu deterior. Nuci maris pauci nuclei parte priore insunt. Fæmineæ nulli omnino ut Macedones referunt. Folium pinnatum, atque in angustius tendens, ut tota species concameratum, sanè imitetur. Simileque potissimo cyathis ( sive ut alii legunt fornicibus ) Bæotorum appareat, densum adeo est, ut nec nivem, nec imbrem transmittat. Descriptio hæc abietis maris omnino convenit cum nostra picea. Radices non altè descendunt, ita ut facile à ventis validioribus radicetenus è terra eruantur. Conos illi alii tribuunt palmæ longitudine, piceæ conis similes, in quibus semen est subalbum sine ulla medulla. Sed multo sunt breviores. Coni enim piceæ sunt quadruplo maiores. Squamis constant in superiore parte latis, sub quibz latet semen sub-

subalbum superius alatum , plenum  
acri & pingvi humore. Theophrastus  
lib. 3. histor. cap. 6. ait: abietem pau-  
lò ante solstitium florere , floremque  
ejus esse κόκκινον i.e. cocei colore. Sic  
Plinius lib. 16. cap. 26. scribit: *Abies*  
*flores croci colore circa solstitium, semen*  
*reddit post Vergiliarum occasum.* Hoc  
Matthiolus negat & dicit , abietem in  
Tridentinis montibus & flore & fru-  
& u carere. Sed si verum est Theo-  
phraesti abietem marem esse piceam,  
uti apud doctos Convenit , recte qui-  
dem negavit Matthiolus illam ferre  
florem, minus tamen recte affirmavit,  
illam nulos ferre fructus , nam &  
abies minores , & picea majores fert  
conos , forsan Matthiolus conos in  
abiete non observavit , quia illi tan-  
tum in cacumine arboris crescunt.  
Theophrastum autem , Plinium & a-  
lios , qui abieti tribuunt flores fefelle-  
runt primum prorumpentes piceæ co-

B

ni,

MURIEL

ni, qui ante solstitium proveniunt, & aspectu sunt jucundissimi. Alii enim fabæ magnitudine, alii etiam minores aut majores apparent, tanta rubedine præditi, ut nihil supra, singuli squamu-  
lis suis sunt vestiti, & progressu tem-  
poris paulatim fiunt virides. Abies in  
montibus altis nascitur, hinc Virgilius  
Eclog. 7. ita canit :

*Fraxinus in sylvis pulcherrima , pi-  
nus in bortis ,*

*Populus in fluviis , abies in montibus  
altis.*

In Germaniæ & Bohemiæ sylvis fre-  
quentissima. Inter corticem ejus &  
corticem arborum juniorum oriuntur  
quædam tubercula, quam nostrates  
**Dannblättern** vocant, ex quibus si  
vulneratur fluit præstantissima illa  
resina lariceæ consistentia similis, sed  
magis transparens, amaricans, &, ut  
Dodonæus refert, saporí citrii mali  
corticem proximè referens. Hanc Ita-  
lorum

lorum vulgo *Lagrimo* vocatur , h. e.  
*lacryma abietis*. Matthiolus putat lib.  
 3. comp. med. de illa veteres nihil li-  
 terarum monumentis consignasse. Sic-  
 cam etiam fert resinam , si cortex fissus  
 aut vulneratus est. Abies Baccho o-  
 lim erat sacra , hac enim Thyades fa-  
 crificantes coronabantur & abiegnos  
 ramos gestabant , uti videre est ex hi-  
 sce versibus :

ὦ Σεμέλας τροφοὶ Θῆβα<sup>γ</sup>  
 τε φανδόθε κιστῶ,  
 βρύετο βρύετο χλοηρᾶ  
 σμίλαι καλλικάρπω,  
 καὶ κυβακχισθε δρυὸς ;  
 ἦλατας κλάδοισι. h. e.

O Semeles altrices Thebe ,  
 Coronemini hedera .  
 Cingite, cingite virenti  
 Smilaci fructifera ,  
 atque bacchemini quercus ,  
 sive abietis cinctæ ramis.

B 2

Sic

Sic Xenophanes in Salibus :

--- --- --- --- εἰς τε Πάνυς  
 ἐστος δὲ λάται πυκνὸν. αὗται δῶμα. i.e.  
*in coronas*  
*consistunt abietes pulchram circa*  
*domum.*

Ad usus quotidianos s̄epissimè expe-  
 titur , & non solum materiam nobis  
 præbet ad ignem accendendum , quo  
 nos tempore hyberno calefaciamus ,  
 cibos cerevisiamque coquamus , sed  
 & ad plura utensilia adhibetur. Ex  
 ligno enim abieguo facimus dolia ,  
 quæ picantur, cupas, capedines, truas,  
 capulas aliaque quamplurima vasa  
 cerevisiaria, aquaria , culinaria. Faci-  
 mus ex illa scandulas , asperges, nec mi-  
 nus adhibetur ad exstruendas domus  
 aliaque ædificia. Salomon Rex pavi-  
 mentum templi Hierosolymitani te-  
 xit tabulis abiegnis. Fiunt ex illa ma-  
 li altissimi & alia ad naves pertinentia,  
 ad quas non minus olim , quam hodie  
 adhi-

## DE ABIETE.

17

adhibebant, uti videre est ex Virgi-  
lio 5. Aeneid.

-- furit immisus Vulcanus habenas  
Transraper, & remos & pictas abiete,  
puppies.

Unde etiam abies pro ipsa navi usur-  
patur apud eundem 8. Aeneid.

*Labitur uncta vadis abies.*

Equum etiam Trojanum ex abiете  
fuisse fabrefactum innuit idem Virgi-  
lius 2. Aen.

*Instar montis equum divina Palladis  
arte*

*Ædificant, sectaque intexunt abiectas  
costas.*

Tabulæ itidem pictoriæ ex illo fiunt &  
alia innumera.

## CAPUT II.

### De Picea.

Piceam Latinorum esse Theophrasti  
abietem masculam certum est.

B 3

Gal-

Gallicè vocatur *Pesse*, Italicè *Pezzo*,  
Hispanicè *Pino negro*, Germanicè  
**Schwarz Dennenbaum** / nostrates  
vocant **Fichten**. Procera est arbor &  
nascitur in montibus caudice recto,  
uti abies, cortice est rubescente, nul-  
lo modo fragili ut in abiete, sed lento  
& flexili: illum usurpant coriarii, ut  
refert Caspar Schwenckfeld in **Cata-**  
**logo Stirp. Silef. lib. i.** ad densandas  
**coria**, hunc vulgo vocant **Eoh**. Nostrí  
**coriarii** loco hujus adhibent corticem  
**quercus**. Ramos habet abieti ramis  
similes, & ita ordinatos, non quidem  
in terram deflexos, sed ad cœlum spe-  
stantes. Folia sunt dilutæ viriditatis,  
nec ita ut in abiete pectinum modo  
disposita, sed ex duobus surculorum  
lateribus & ex superiori parte pro-  
rumpunt, nec inferior prorsus est nu-  
da, sed illa ad latera flectuntur, ut  
intuentibus inferior pars nuda videa-  
tur, quæ autem in superiore parte,  
crescunt,

crescunt, non ita ad latera ut inferiora  
flectuntur. Surculi ramorum piceæ  
plura habent folia quam abietis, hinc  
etiam majorem & opacam faciunt  
umbram, ut vix radii solares penetra-  
re possint, quod Silius Italicus opti-  
mè scivit, dum lib. i. Punic. ita de tem-  
plo quodam urbis Carthaginensis ca-  
nit:

*Urbē fuit media sacrum Genitricis  
Elisæ*

*Manibus, & patria Tyriis formidinis  
cultus,*

*Quod taxi circum, & piceæ squalenæ  
tibus umbris*

*Abdiderant, cælique arcebant lumine  
templum.*

Non ita sunt lata ut in abiete, sed bre-  
via, parva, acuta, pungentia. Recte  
negat Plinius lib. 16. cap. 25. piceam  
exhilarari flore & immerito hanc ob  
causam à Dalechampio notatur, qui  
scribit: *Piceæ florem oblongum at ru-*

B 4

*bentem*

*bentem quivis observare potest. Fefellit illum sine dubio color, putavitque cognostanta rubidine non esse præditos, sed si diligentius inspexisset, sanè aliter scripsisset, sunt enim nihil aliud quam conuli prorumpentes & rubentes, uti in capite antecedenti scripsi, & nihil omnino floribus simile, præter colorem repræsentantes. Picea conos fert teretes spithamæ longitudine, extremitatibus ramorum annexos, & deorsum pendentes, quod propter pondus ipsorum fieri autumus, ex meris squamis coalitos, in medio scapum habent longum, cui squamæ sunt adnatæ, quæ in medio sunt latæ, in superiore parte acuminatæ & tenues, in inferiore autem parte, ubi scapo annexuntur, angustiores, crassiores tamen, mediæ, maiores sunt, infimæ & supremæ paulo minores. Singulis in latere exteriore annexitur longum & latiusculum foliolum, superius paululum*

lum incisum , in interiore parte anne-  
titur illis geminum semen , magnitu-  
dine seminis cnici , superius alatum ,  
colore fuscum. Optimè hæc figuris  
expressit Camerarius in Matthiolo suo  
Germanico lib. I. cap. 21. Semen  
plenum est olei cuiusdam fragrantif-  
fimi , lingvamque acrimonia sua feri-  
entis. Totus conus , si recens ex ar-  
bore venit , plenus est resina & gratum  
spirat odorem. Mense Septembri sunt  
maturi. Quando cortex vulneratur , in  
magna copia effluit resina , ex qua no-  
strates picem destillant. Nascitur in  
montibus & sylvis , præsertim in locis  
frigidioribus , hinc etiam Virgilius lib.  
2. Georg. piceam , taxum & hederam  
foli frigidioris indicia esse scribit ;

*-- -- at sceleratum exquirere frigus  
Difficile est. Piceæ tantum taxique no-  
centes*

*Interdum , aut hederæ pandunt vestigia  
nigræ.*

B. 5

Luga-

Lugubris est arbor , quapropter apud veteres in domibus lugubribus Patriorum , amissis fratribus , liberis & propinquis apponebatur, feceruntque eam Diti sacram, uti refert Alexander ab Alex. lib. 3. Genial. dier. cap. 7. Adhibita etiam est Picea in funeribus ad exstruendos rogos, quibus cadavera cremabant. Sic illam in funere Miseni Hectoris tubicinis adhibebant , uti Virgilius lib. 6. Æn. canit :

-- -- -- -- *Tum jussa Sibylle  
Haud mora, festinant flentes, aramque  
sepulchri  
Congereret arboribus, cæloque educere  
certant.*

*Itur in antiquam sylvam, stabula alta  
ferarum :*

*Procumbunt piceæ, sonat icta securi-  
bus ilex :*

*Fraxineæque træbes, cuneis & fissile  
robur*

*Scinditur : advolvunt ingentes monti-  
bus ornos.*

**Lignum**

Lignum accensum in primis resinosum fumum edit atrum , & omnia ad quæ pertingit nigrore affidentem, Materia ad omnia illa adhibetur , ad quæ abies , non tamen ita frequenter. Plinius lib. 17. cap. 12. scribit : umbram picearum & abietis esse venenum , sed experientia repugnat.

## CAPUT III.

*De Pinus sylvestri vulgari seu Pinastro.*

Pinorum sylvestrium plura sunt genera , hic describam eam , quæ in nostris locis provenit. Pinastrum autem puto esse illam arborem , quæ à Theophrasto vocatur *πίτος* , cuius opinionis etiam Plinius videtur fuisse. Theophrastus enim lib. 1. histor. cap. 15. scribit : *τῶν δὲ ἀγείων αἰεὶ θυλλαὶ λάδη, πέυκη, πίτος.* Hunc locum

B 6

Plini-

Plinius lib. 16. cap. 21. ita vertit: *Sylvestrium generis folia non decidunt Abieti, Larici, Pinastro &c.* Nostrates illam vocant Kienbaum sive Kiefern / caudicem habet interdum distortum, saepissime tamen rectum, cortex in inferiore parte arboris plenus est rimarum, atque scaber, colore quodammodo cineraceus, in superiore autem parte plenus squamarum & rubicundus, in ramis tenerioribus lauri modo livecit. Surculos ramorum habet fragiles, qui si frangantur, apparent inter corticem & corticem minuti pori, ex quibus resina exsudat. Adultæ arbores ramos habent minimè rectos, sed simosos. Folia habet tenuia, rigida, multò longiora foliis abietis & piceæ, semper gemina ab uno veluti tubulo exeuntia, in ipso exortu connexa, in interiore parte, quà se spicunt, concava, acuta sunt, pungentia, gustu adstringentia, undiquaque ramos vestiunt.

DE PINU SYLV. VULG. SEU PINAST. 25  
stiunt. Coni ex compactili squama-  
rum acervo sunt turbinati, ramulis pe-  
diculo brevi in nonnullis recto, in a-  
liis adunco ad latera ita firmiter ad-  
hærent, ut cum novi erumpunt, anni-  
culi adhuc in ramis hærent, quam-  
primum inaruerint, dehiscunt. Squa-  
mæ sunt oblongæ, sub quib⁹ semen la-  
tet nigricans magnitudine anisi, ala-  
tum, plenum alba medulla. Arbor,  
hæc optimam fundit resinam. Arver-  
ni, Vellaunii & Allobroges, testante,  
Autore Herbarii Lugdunensis, resi-  
nam illam colligunt & picem inde  
conficiunt optimam, vocantque *pins*  
*saunages* & *pinnateans*. Mediocri est  
altitudine, secus quam Plinius lib. 16.  
cap. 10. scribit: *Pinaſter nihil aliud est,*  
*quam pinus sylvestris, mira altitudine.*  
Materia gratum spirat odorem & du-  
rabilis est in aquis, atque ob id ad tu-  
bos in aquarium ductibus expetitur.  
Tubi isti, si terra obruuntur, triginta

B 7

durant

durant annos. Lignum exterius albicat, interius rubescit. Asseres & alia quæ ex ligno pinastri conficiuntur, maximè si resinosa sunt, magis laudantur, quam quæ ex ligno abietis aut piceæ fiunt, idque propter gratum odorem & duramentum. Ex ramis optimi fiunt vinearum pali. Autor Herbarii Lugdunensis scribit: *pro floribus sunt juli, quos hyeme profert.* Sed fallitur, nullos enim observavi julos, verum primo vere gemmas protrudit oblongas squamatas longitudine digiti, quæ procul intuentibus videntur juli, sed paulatim fiunt longiores & foliis vestiuntur. Has sine dubio Autor ille julos esse putavit, quod tamen est falsum. In sylvis Germaniæ & aliis septentrionalibus regionibus large provenit.

C A P.

## CAPUT IV.

*De Pinu sativa.*

**P**inus *sativa*, Græcè πολύνημες, Gallicè *Pia*, Italicè & Hispanicè *Pino* vocatur, arbore est procera, quapropter illam Horatius od. 3. lib. 2. ingentem vocat:

*Qua pinus ingens, albaque populus  
Umbram hospitalem confociare amant  
Ramis.*

Et od. 10. lib. 2.

*Sepius ventis agitatur ingens  
Pinus.*

Virgilius eam ob causam vocat altam.

2. Georg.

*Et te, Bacche, vocant per carmina leta,  
tibique*

*Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.*

**C**rassum habet caudicem in summitate ramos multos producens, qui in ramu-

ramulos alios rotundos dividuntur.  
 Folia habet dura , tenuia , oblonga ,  
 aculeata , quapropter à Poëtis voca-  
 tur acuta. Ovidius lib. 2. de arte :  
*Ovaque sumantur , nec non bumentia ,  
 mella ,*

*Quasque tulit folio pinus acuta ,  
 nuces.*

Ex candido virentia , comarum instar  
 extremas ramorum partes ambientia ,  
 semper virent. Conos habet magnos ,  
 solidos , ex multis duris & lignosis  
 squamis compactos , in quibus nuclei  
 oblongi & fusci lacunatis toris sunt ,  
 inclusi. Interior nucleus albidus te-  
 nui vestitur tunica flavi coloris , quæ  
 facile à nucleis digitorum ope amove-  
 ri potest. Sapor nucleorum dulcis est  
 ac jucundus , substantia pinguis & ole-  
 osa. Coni vocantur à Martiale lib. 13.  
 epigr. 25. poma Cybeles , quia nempe  
 pinus Cybelæ seu Rheæ olim erat  
 sacra :

*Poma*

*Poma sumus Cybeles: procul binc discede  
viator,*

*- Nec cadat in miserum nostra ruina  
inueni non alibi caput.*

Materia pini rubescit, gravis est, & insus liquore quodam madet, non durat, nisi in siccitate, ut ait Palladius lib. 12. tit. 15. Circa Ravennam non procul ab Adriatico mari saepius inventur, ita & in aliis Italiæ locis, præser-tim in hortis cœnobiorum; in hortis enim omnium lætissimè crecit, uti videre est ex Virgilii Eclog. 7.

*Fraxinus in sylvis pulcherrima, Pinus in  
hortis,*

*Populus in fluviosis, Abies in montibus  
altis.*

Invenitur etiam in Gallia Narbonensi circa Marsiliam, in Hispania; & in orientis provinciis plurimis, uti in Mænalo monte Arcadiæ altissimo, sicut testatur Virgilius Eclog. 8.

*Mæna-*

*Mænalus argutumque nemus, Pinosque  
loquentes*

*Semper habet.*

*H*ec in Ida celebri Troadis monte, uti  
ex eodem videre est Æneid. 5.

*Concidit : ut quondam cava concidit  
aut Erymantho*

*Aut Ida in magna radicibus eruta  
Pinus.*

*Ita etiam in Vesalo monte Liguriæ,  
quem ideo Virgilius 10. Æneid. pini-  
ferum vocat :*

*--- multos Vesalus quem pinifer annos  
Defendit.*

*multisque aliis in locis. Plinius lib. 16.  
cap. 42. scribit ; illam necare germi-  
na ; sed Palladius in Novembri cap. 7.  
ait : Pinus omnibus, que sub ea seruntur,  
prodeesse creditur. Et Theophrastus lib.  
3. cap. 15. de causis scribit : Pinus quo-  
que benigna omnibus propterea esse pu-  
tatur, quod radice simplici, altaque sit :  
seritur enim sub eam & myrtus & laurus*

5

Et alia plerique: nec quicquam prohibet radix, quo minus haec libere augescere valent. Verum Plinio non semper est credendum. Proprium autem est illi ut salso solo latissime se expandat. Sacra olim fuit Pani sive Fauno pastorum Deo, quare etiam aram Panis fronde pini ornabant, immo ipse Pan fronte pini se coronabat, hinc Ovidius epist. 5. ita canit:

*Cornigerumque caput pinu præcinctus  
acuta.*

*Faunus in immensis, quatumet Ida,  
jugis.*

Et lib. I. Metam. fab. 18.

*Pan videt hanc pinuque caput præcinctus acuta*

*Talia verba refert.*

Item lib. 14. Metam. fab. 15.

--- --- *Pinu præcincti cornua Panes.*

Sic lib. I. Fastor.

*Pars tibi, qui pinu tempora nexa geris.*

*Scribunt alii, illam etiam sacram fuisse*

*Rheæ*

Rheæ Matri Deorum. Atys enim sive puer fuerit Phrygius sive sacerdos Rheæ, cum perpetuam virginitatem se servaturum pollicitus esset, nec tamen servasset, à Dea in furorem est percitus, in illo furore cum genitalia fibi execuit, violentasque manus sibi inferre voluit, Dea miserta illum in pinum convertit. Hinc Rheæ arborrem illam sacram fecerunt, uti videre est in Ovidii 10. Metam.

*Et succincta comas, hic sutaque vertice  
Pinus,*

*Grata Deûm Matri. Siquidem Cybeleius  
Atys*

*Exuit hâc hominem, truncoque indi-  
ruit illo.*

Postea ejus sacerdotes pinu coronati sacrificabant. Horatius etiam pinum villæ suæ imminentem Dianæ consecravit od. 22. lib. 3.

*Montium custos nemorumque virgo;  
Quæ laborantes utero puellas*

Ter

*Ter vocata audis, adimisque letho  
Divatriformis.*

*Imminens villa tua Pinus esto.*

Maxime expetitur pinus ad naves fa-  
bricandas, hinc etiam vocatur nauti-  
ca à Poëtis. Virgilius Eclog. 4.

*Hinc ubi jam firmata virum te fecerit  
etas*

*Cedet & ipse mari vector, nec nautical  
pinus*

*Mutabit merces.*

Er Georg. 2. --- *dant utile lignum  
Navigiis pinos.*

Sæpius etiam pinus pro ipsa navi acci-  
pitur apud Poëtas. Virgil. 10. Æneid.

*Quos patre Benaco velatus arundine  
glaucâ,*

*Mimius infesta ducebat in æquora pinu.*

*Quin & ipsæ naves in nymphas muta-  
tæ apud eundem 10. Æn. se vocabant  
pinus.*

*Nos sumus Idææ sacro de vertice pinus  
Nunc pelagi nymphæ.*

Argo-

Argonautarum itidem navis argus ex  
pinibus erat fabrefacta, uti itidem ex  
poëtis videre licet, quam etiam pi-  
num vocant. Horatius epod. 6.

*Non huc Argoo contendit remige pinus,*  
*Ita Ovidius epist. 6.*

*Quid mibi cum Mingis? quid cum Tri-  
tonide pinu?*

Sic Catullus de nuptiis Pelei & The-  
tidos;

*Peliaco quondam prognatae vertice  
pinus*

Dicuntur liquidas Neptuni nasse per  
undas

*Phasidis ad fluctus, & fines Aet eos.*

Orpheus scribit illam fuisse fabrefa-  
ctam ex pinibus & quercubus.

*Ἄγι χαρπὸν ποὺ χεῦμα γεγηθόπεις  
ἔλξαπ νῆα*

*Ἄργω πεύκησιν τὸν δέστρον φο-  
τεῖσαν. h. e.*

*As placidos læti in fluctus deducite  
navem.*

*Ex*

DE PINU SATIVA. 35

*Ex pinū Argo, & quernis trabibus  
compactam.*

Euripides etiam illam vocat πεύκην,  
i. e. pinum. Malos etiam ex pinu faci-  
unt, unde Lucanus 2. Belli civil.

*Dum juga curvantur mali, dumque ar-  
dua pinus*

*Erigitur, pavidi classis siluere magistri.*

Lignum pineum olim loco facis ac-  
cendebant, & in variis ritibus usurpa-  
bant. Adhibebant pinum in februis  
seu lustrationibus, uti canit Ovidius  
lib. 2. Fastor.

*Ipse ego Flaminia poscentem februa vidi,  
Februa poscenti pinea virga data est.*

Item 4. Fastor. in lustratione ovium  
jubet urere tedam, quæ ex pinu utplu-  
rimum fit.

*Ure mares oleas, tēdamque herbasque  
sabinas.*

Hinc non rarò pinus usurpatur pro-  
face ex pinn facta, ut apud Virgil. 9.  
Æneid.

*socios-*

-- -- sociosque incendia poscit ovantes  
 Atque manum pinu flagranti fervidus  
 implet.

Item:

*Parte alia horrendus visu quassabat  
 Etruscam*

*Pinum & fumiferos infert Mezentius  
 ignes.*

Sic Ceres quærens Proserpinam incen-  
 debat duas pro lampade pinus, uti ca-  
 nit Ovidius 4. Fastor.

*Altajacet vasti super ora Typhoeos Ætna:  
 Cujus anbelatis ignibus ardet humus:  
 Illic accedit geminas pro lampade pinus  
 Hinc Cereris sacrâ nunc quoque teda  
 datur.*

Et lib. 5. Metam. fab. 7.

*Flammiferas pinus manibus succendit  
 ab Ætna,*

*Perque pruinosas tulit irrequita tene-  
 bras.*

Faces pineæ olim etiam usurpabantur  
 in nuptiis: nova nupta enim ad lectum  
 genia-

DE PINU SATIVA. 37

genialem quinque facibus noctu admittebatur. Has faces ex pinu arbore parabant, quia pastores in raptu Virginum Sabinarum faces ex hac arbore accendisse feruntur. Sic ait Virgilius Amatum Latini Regis uxorem pinum flagrantem ad nuptias Turni & Laviniae gestasse, cum Aen. 7. ita canit:

*Ipsa inter medias flagrantem fervida  
pinum,*

*Sustinet, ac natæ Turnique canit hymenæos.*

Apud Lusitanos mos erat, ut novam nuptam duo patrimi & matrimi pueri ad virum comitarentur, tertius autem præibat & facem accensam ex pinu præferebat. Videatur de his Alexander ab Alex. lib. 2. dier. genial. cap. 5. Sic in Isthmo viatores coronabantur corona pinea, uti idem refert lib. 5. cap. 8. Plinius ex pinu succinum flure scribit, quod & de abietibus Olaus Magnus refert, sed falsum hoc esse

G testa-

testatur experientia. In Troade apud Heptaporum fluvium pinus fuit miræ altitudinis, quam pulchram vocarunt. De qua Strabo lib. 13. hæc habet : *De pulchra pinu Attalus, qui primus regnavit, ita scribit, ambitum ejus esse pedum viginti quatuor, altitudinem à radice sexaginta & septem, postea in tria scissam æqualiter inter se distantia, & iterum in unam apicem cohiberi. Totam ejus altitudinem esse duorum jugerum & quindecim cubitorum. Nunc nulla est, inquit Pius II. Pontifex in descriptione Asiae Minoris cap. 68. habent & arbores suam mortem, aut percussæ cadunt, aut suo tempore arescunt.*

## CAPUT V.

*De aliis pinus sylvestris speciebus.*

**H**Erbarium Lugdunense alias adhuc describit pinus sylvestres, & distin-

DE ALIIS PINUS SYLV. SPECIEB. 39  
distinguit illas in fructiferas & steriles. Sterilem vocat non ideo , quod nullum edat fructum , sed quia nuclei edules non sunt. Fructiferam iterum dispescit in Idæam seu montanam & maritimam. *Montana* , sunt verba Autoris , sativæ similis est , nuces edit similes , solidas , ex simili squamarum congerie compactas , resinofas , odoratas. Hujusmodi montanæ pinus in multis Hispaniæ & Lusitanie montibus crescunt , adeò fructuofæ , ut inde maxima nucum pinearum capia per totam Galliam distribatur. Maritimæ prope fossas Marianas non procul ab urbe Monspelio permultæ proveniunt , in spatio pineto pinearum nucum copia celeberrimo , supradictis similes , nisi quod nux earum brevior , rotundior , celerius debiscit , autore Theophrasto. Montanarum autem amplior , longior , diutius in sece compressa manet. Sed has duas species non alias esse puto , quam pinum sati-

C 2 vam,

vam, aliam tamen atque aliam nancisci  
formam pro diversitate soli & cœli,  
ubi provenit. Hoc innuit ipse Autor  
illius libri, cum inquit: *Causa hæc est,*  
*quod in arenoso solo maritimis parcus*  
*alimentum suppeditatur, ideoque minor*  
*est, ac strigosior nux.* Præterea ob ma-  
ris afflatum, litus apricum, austri in ma-  
ritimo tractu crebro flantis occursum  
nux citius recluditur, non aliter, quam  
cum ab arbore decerptam igni admove-  
mus, ut aperiatur: contra vero largius  
alimentum montanis suggeritur, & mon-  
tium aër natura frigidior, nuces se refe-  
rare non finit, imò comprimit. Immeri-  
to autem carpi ibidem Matthiolum  
existimo, qui scribit, pinos sylvestres  
in maritimis Senensibus fructum ferre  
spitham longum, pyramidis figura,  
firmum, solidum, nec facile dehiscen-  
tem. Sine dubio enim diligens Botan-  
ographus Matthiolus & ipse Senensis  
in agro Senensi diligentius conos in-  
spexit,

DE ALIIS PINUS SYLV. SPECIB. 41  
spexit, & quæ scripsit, ipse observavit.  
Cæterum sunt & aliæ species pinorum  
sylvestrium & quidem primò Tubulus  
Plinii, quem Ananienses in Tridenti-  
no *Mugo* appellant, Latine potest dici  
pinus sylvestris repens, provenit in  
summis cæcum inibus montis Anani-  
ensium in Ravena sine caudice, ramos  
à radice circumquaque fundit, qui  
longo tractu per terram tubulorum  
modo repunt, decem aut quindecim  
cubitost longi, graciles, enodes, faci-  
unt ex illis circulos, quibus dolia vi-  
naria cinguntur, sunt enim flexiles &  
tenaces. Conus ejus est similis fructui  
pinus sylvestris vulgaris, paulò tamen  
major, resinosis & grati odoris. Prä-  
terea alia est species, quam Itali *cembro*  
seu *cermolo* vocant, nascitur fre-  
quenter in Tyrolensi comitatu & aliis  
circumjacentibus locis, in Vulturenæ  
& Rhætorum montibus, in agro Tri-  
dentino & aliis locis, quæ septentrio-

nem spectant. Arbor est speciosa proceritate, ramosa. Cortex prope terram est rugosus, in superiore caudicis parte & in ramis est laevis & subalbidus ut in abiete. Rami sunt distorti. Folia habet longa & mucronata, ex singulis tuberculis quina prorumpunt, in extremis surculis ita coacevantur, ut penicillum referant. Coni piceæ conis crassitudine sunt similes, molles, resinosi, è nigro purpurascentes, fragiles, in quibus nuces reperiuntur triquetræ pinüs nucleis minores, teneræ & fractu faciles, ita ut dentibus facile rumpantur, hisce insunt nuclei dulces, albicantes, subruffa coniecti membrana. Caudex resinam fundit albam & odoratam. Aliam pinum marinam describit Dodonæus, illa, inquit, duorum hominum staturam subinde non excedit: folio pini breviore: fructu coniforma oblongo & turbinato, multam resinam preferente: hujus due sunt

DE ALIIS PINUS SYLV. SPECIEB. 43  
sunt species fructus magnitudine tantum  
differentes. Aliam speciem nobis ex-  
hibet Carolus Clusius, quam se in solo  
Murciano regno reperisse scribit, quæ  
hominis staturam vix attingit, foliis  
minutis veluti laricis, sed perpetuis:  
cono parvo ac nucleis parvis. Fluit  
ex his omnibus resina alba & odorata.  
Plures alias species pinus sylvestris  
describunt Autores, quos benevoli  
Lector adeat, mihi sunt ignotæ, ideo  
que genuinam descriptionem dare  
non possum.

## CAPUT VI.

### De Teda.

PLinius lib. 16. cap. 10. sex genera  
arborum coniferarum enumerat,  
Pinum nempe, Pinastrum, Tubulum,  
Piceam, Laricem & Tedam. Sed Mat-  
thiolus, Bellonius & Caspar Hoffmann-

C 4 nus

nus rectè Plinium erroris insimulant ;  
quod ex vitio aliquo arbòris singula-  
re genus constituat. Teda enim nihil  
aliud est, quam morbus arborum qua-  
rundam pingvium, quo ita augetur  
humor earum nativus, ut suffocentur.  
Defendit quidem Plinium Autor Her-  
barii Lugdunensis & reprehendit  
Matthiolum & Bellonium , quod Pli-  
nium falsi erroris insimulassent , quasi  
verò Plinius nunquam errasset , qui  
tamen saepius in re herbaria, cuius im-  
peritus fuit , hallucinatus est. Non  
rarò enim ex eadem herba diversa  
ejus appellatione deceptus diversa  
genera fecit. Quid igitur mirum, si ex  
teda peculiare genus arbòris consti-  
tuerit. Sextum genus , inquit Plinius,  
est teda proprie dicta , abundantior suc-  
co, quam reliqua , parciore , liquidiore-  
que quam picea , flammis ac lumini sa-  
crorum etiam grata. Jacobus Dale-  
champius ad hunc locum , male hac ,  
in-

inquit , & tamen sui immemor paulò  
post dicit , Tedam significare arborem  
sui generis , ignotam Theophrasto.  
Sed ex ipsius Plinii verbis apparet il-  
lum ibi intellexisse tedam Theophra-  
sti , & ex illa fecisse singulare genus ,  
quæ tantum est vitium seu morbus ar-  
boris. Dicit enim quod flammis ac  
lumini sacrorum sit grata. Scimus  
autem in sacris usurpâsse olim tedam  
Theophrasti. Sæpiissime namque Pli-  
nius Theophrasti verba non rectè per-  
cepit & pessimè vertit , quod ipse Da-  
lechampius observavit. Theophra-  
stus lib. 3. histor. cap. 10. de teda ita  
scripsit: *Morbum pinis accidere talem  
Idæi incolæ narrant : cum non solum cor ,  
sed etiam pars externa caudicis in tedam  
transfiverit , tunc strangulari quodam-  
modo , quod sponte accedit ubertate ar-  
boris largissima , quo ad quis conjectare  
possit. Teda enim totum efficitur. Ergo  
hæc pini propria affectio est.* Si itaque

C 5

teda

teda propria affectio est pini, quomo-  
do igitur singulare genus potest esse.  
Similiter ex esula scabiosa plerumque  
genus peculiare constituunt, cum ta-  
men vitium sit cyparissia, saepius  
enim cyparissiam & scabiosam esu-  
lam in una eademque radice inveni,  
certo argumento hanc esse vitium il-  
lius, aque rubigine esse affectam. Hoc  
unicuique diligentius investiganti e-  
rit obvium. Causam autem teda refert  
Theophrastus 6. causar. cap. 15. *Pinus*  
enim, inquit, *radicem agit teda totam*,  
*refertam*, ut ante dictum est. *Ratio ea-*  
*dem que in animalibus est*, quod pars  
*alimenti*, que ferbuerit, excoctaque sit,  
quoniam purgatissima est, assidet, & col-  
lecta, densataque pinguedinem reddit.  
*Reliquum verò sursum transmissum*,  
*partes que supra terram eminent*, nutrit:  
*non per illam pinguedinem subiens*, sed  
*per alios quosdam meatus*. Nam que in  
tedam omni ex parte mutata sint, obesi-  
tate

tate moriuntur, ut dictum est. Cum nullum transitum habeant spiritus, strangulantur: sicut animalibus accidit, quæ ultra modum pinguerint. Quippe meatus omnes frequentia pinguedinis obturantur, ut spiratio ad finem usque transire minimè valeat. Quibus igitur vel nulla penitus, vel non multa, callosaque inest pinguedo, his nunquam talis crassatio evenit: at quibus inest, iis nimicum evenit scilicet vi fervoris exuperantibus. Ex teda olim fecerunt picem, & adhuc in quibusdam locis faciunt, sed quia teda in tanta copia non inventur, ut sufficiat ad picem conficiendam, arte quadam ex pinu fecerunt tedam. Modum describit Theophrastus lib. 9. histor. cap. 2. Id ei, inquit, ubi arboris caudicem cortice dispoliarint, quod parte solari, binis aut ternis à terra cubitis facere consuevere, confluum istuc fieri non sine teda uno cum plurimum anno affirmant. Idque cum

C 6

securi

*securi detraxerint , secundo iterum anno  
teda locum expleri , & tertio pari modo.  
Posthac ob eam paulatinam incisuram  
arborem extenuatam , putrefactamque  
bumi facile à flatu prosterni , tum ejus  
cor extrahi ( hoc enim tedam maximè  
prefert , ) nec non & radicem effodi . Ita  
teda proprius & peculiaris morbus est  
pini . Et tedæ five faces ex pinu fie-  
bant , uti testantur veteres . Sic Virgi-  
lius 9. Æn.*

---- *sociosque incendia poscit ovantes ,  
Atque manum pinu flagranti fervidus  
implet.*

*Tum verò incumbunt , urget præsentia  
Turni :*

*Atque omnis facibus pubes accingitur  
atris.*

*Diripuere focos : piceum fert fumida  
lumen*

*Teda & commistam Vulcanus ad astra  
favillam.*

*Sic Æneid. 7.*

*Ipsa*

*Ipsa inter medias, flagrantem fervida  
pinum*

*Sustinet.*

Hic Servius per pinum teda pineam  
intelligit. Ita Ovidius in Epistolis:  
*Ut vidi, ut perii, nec notis ignibus arsi,  
Ardet ut ad magnos pineata teda Deos.*

Item 4. Fastor.

*Illic accedit geminas pro lampade  
pinus,*

*Hinc Cereris sacris nunc quoque teda  
datur.*

Ceres nempe quærens Proserpinam,  
accedit duas faces ex pinea teda.  
Ita Catullus in Epithalamio Juliæ &  
Manlīi.

... ... manu  
*Pineam quate teda.*

Convertuntur autem & Pinastris in  
tedam, imò etiam Picea & Larix, teste  
Plinio lib. 16. cap. 10. *Laricis morbus*  
*est, ut teda fiat.* Teda Germani  
vertunt Rienholz / Græcè δάς vel δά-

C 7. διον.

ðioꝝ. Nostrum Rien / quod usurpant  
ad ignem accendendū, faciunt ex cau-  
dicibus, qui post cæsos pinastros,  
quorum mentio supra cap. 3. facta est,  
aliquandiu in libero aëre steterunt.  
Hoc effodiunt sylvicolæ, scindunt in  
assulas & divendunt. Ex his caudi-  
cibus uritur etiam nostris in locis pix  
nigra liquida, quam Ståncer vocant,  
hanc includunt in doliola & vendunt,  
quâ opiliones utuntur ad inungendas  
oves, hâc enim inunctione scabies ab  
illis arcetur. Herbarium Lugdunen-  
se lib. I. cap. II. scribit, illam pastores  
& rusticos in tractu Massiliensi ex oxy-  
cedri lignis assulatim concisis elicere.  
Præterea teda non tantum significat  
arborem & ligna, ex quibus picem  
confecerunt, sed etiam lignum oblon-  
gum ex teda factū, quod accenderunt  
& loco facis aut candelæ usurparunt,  
imo omnia ligna, quæ oleo, pice aut  
cera

cera illinuntur & accenduntur , ut facis loco luceant. Ita fecerunt faces lustrales , quas tedas vocarunt , uti illas describit Claudianus 6. Consul. Honorii.

*Lustralem sic triste facem , cui lumen  
odorum*

*Sulphur cœruleo , nigroque bitumine  
fumat ,*

*Circum membra rotat doctus purganda  
sacerdos ,*

*Rore pio spargens & dira fugantibus  
herbis*

*Numina , terrificumque Jovem , Trivi-  
amque precatus ,*

*Trans caput aversus manibus jaculatur  
in austrum ,*

*Secum rapturas cantata piaculate das.*

In nuptiis etiam cum nova nupta ad lectum genialem admittebatur , quinque faces præibant , quas ab ædilibus accendi & ex pino fieri erat auspiciatissimum , quia in raptu Sabinarum

narum pastores ex hac arbore faces  
fecisse dicuntur, uti jam supra in capi-  
te de pinu memini , hinc teda seu fax  
ex teda sumitur pro conjugio apud  
Poëtas. Silius Italicus 2. Punic.

*... dulcesque marito  
Effluxere tori, & subiere oblivia teda.  
Virgilius 4. Æneid.*

*Si non pertæsum thalami tedaque fuisset.  
Et Seneca in Agamemnone. Nec re-  
gna socium ferre, nec teda possunt.*

## CAPUT VII.

*De Cedromagna.*

C Edri duæ sunt species, una major,  
quæ conos fert, altera humilis,  
quæ baccas juniperinis similes profert.  
De majore h̄ic agendum, quæ etiam  
dicitur Phœnicia, aliis etiam *Cedrela-*  
*te*, Gallice *Cedre*, Italice & Hispanicè  
*Cedro*, Germanicè *Cederbaum*. Est au-  
tem

tem Cedrus arbor procera , omnes fe-  
te arbores reliquas coniferas supe-  
rans. Caudex ejus s̄aþe ita crassus est,  
ut teste Theophrasto , quatuor homi-  
num ulnæ eum complecti nequeant:  
Cortex à terra usque ad ramos in an-  
nōsis asper est,in superiore parte lāvis  
atque glaber. Color corticis exterius  
est cinereus, interius ruber. Rami ad-  
modum fragiles non procul à terra ex  
caudice erumpunt , quem orbicula-  
tūm ambiunt, ut in omnibus fere ar-  
boribus coniferis. Inferiores late se  
circumfundunt , paulatim autem fiunt  
minores, ita ut quo propius accedunt  
ad cacumen , eò fiant breviores. Sic  
eminus intuentibus pyramidali forma  
apparet. Folia sunt veluti pīni , bre-  
viora tamen & minus aculeata , ex u-  
no nodo plura erumpunt , odorata.  
Coni non ita sunt crassi ac pinei, quin-  
que aut sex digitorum longitudine ,  
subfulvi , obtusi, semen inest magnitu-  
dine

dine vinacei dulce , succo quodam  
odorato circumfusum. Squamæ illo-  
rum non sunt admodum duræ. Non  
deorsum pendent , sed cœlum spe-  
stant, & ut scribit Bellonius , ita tena-  
citer adhærent ramulis , ut citra parti-  
culam illorum minimè avelli queant.  
Radices habet multas & crassas , per  
summam terram repentes. Ligni ma-  
teria durissima , nec cariem , nec vetu-  
statem sentit : cor odoratum ac subru-  
bens. Ex hac resina fluit' odorata , len-  
tæ substantiæ , initio liquida , quæ vi-  
solis fit arida , ex hac pix excoquitur ,  
quæ Cedria vocatur. Nascitur in  
montibus Syriæ in Libano , Tauro ,  
Amano : Cariem , uti dixi , vetusta-  
temque non sentit , quapropter idola  
olim ex Cedro factitabant , aliaque si-  
mulacra atque statuas. Ita in Regia  
Latini Regis stabant effigies avorum  
suorum ex Cedro factæ , uti refert Vir-  
gilius 7. Æneid.

Quin

970

Quin etiam veterum effigies ex ordine  
avorum

Antiqua ex Cedro, Italusque Paterque  
Sabinus,

Vitisator curvam servans sub imagine  
falcem,

Saturnusque senex, Janique bifrontis  
imago,

Vestibulo astabant.

Hinc etiam ad naves fabricandas  
aptissima est cedrus & ad ædium tecta  
utilissima, rimam enim & fissuram non  
sentit. Quare templum Domini, quod  
exstruxit Salomon Rex Israëlis conca-  
meratum erat ligno cedrino. Ad do-  
mos ædificandas itidem maximè ex-  
petitur, hinc canit Virgilius 2. Georg.

--- --- dant utile lignum  
Navigiis pinos, domibus cedrosque Cu-  
pressosque.

Templum Dianæ, quod erat Ephesi,  
tectum ex Cedrinis trabibus habebat.  
Sic & templum Apollinis Uticæ trabes  
habe-

habebat ex Cedris Numidicis , quæ duraverant mille centum octoginta octo annos. Scribit itidem Plinius lib. 13. cap. 13. Numæ libros chartaceos terræ infossos durâsse ad annos quingentos triginta quinque, quod cedrati essent. Unde etiam proverbium natum est, *digna Cedro* , quod de iis dicitur , quæ immortalitate digna esse judicantur, uti est apud Persium: *Et Cedro digna loquitus*. Et apud Horatium in arte:

... --- ... *Speramus carmina singi  
Posse linenda cedro , & lævi servanda  
Cupresso.*

h. e. talia carmina , quæ æternitate essent digna. Ita Martialis lib. 3. epigr. 2. alloquitur libellum suum:

*Cedro nunc licet ambules perunctus. i. e.  
sub Faustini patrocinio æternitate do-  
neris. Cedri scobe in prunas conjecta  
fugantur serpentes, uti Plinius lib. 24.  
cap. 5. testatur. Hinc jubet Virgilius 3.  
Georg.*

Georg. circa stabula Cedrum accen-  
dere.

*Disce odoratam stabulis accendere Ce-  
drum,*

*Galbaneoque agitare graves nidore che-  
lydros.*

Veteres etiam Cedri & citri fumo  
Deos adolevisse scribit Alexander ab  
Alexandro lib. 4. dier. genial. cap. 17.  
uti etiam in Eumenidum sacrificiis  
nulla alia ligna admittebantur quam  
Cedrus, alnus, juniperus & rhamnus.

## CAPUT VIII.

### *De Larice.*

Larix Italica ac Hispanis dicitur,  
*Larice*, Gallis *Melese*, Germanis  
*Lerchenbaum* / arbor est alta, non tan-  
tem ita procera uti abies, cortex à ter-  
ra usque ad ramos est crassus, asper,  
multis rimis hiulcus, interius rubet,  
reli-

reliqua parte lœvis est & glaber. Ramos habet multos salicis modo lentos & obsequiosos , coloris lutei, suavis odoris. Folia sunt breviora, molliora, atque tenuiora quam pini, ab uno tuberculo numerosa prodeunt obtusa, non aculeata. Tubercula satis longè à se se distant. Conorum rudimenta, quæ alii flosculos esse putant, è ramulis erumpunt rotunda , eleganti purpura rubentia , uti in picea. Rectè itaque scripsit Plinius lib.16. cap. 25. Neque iley, picea, larix , pinus ullo flore exhilarantur. Falsa autem sunt quæ Dalechampius scripsit ad hunc locum. Plinii: Larix autem vere florem mittit è ramulorum cacuminibus in purpurn ardenter rubentem, foliolis comantibus annexum , miro quodam naturæ artificio. Et Herbarium Lugdunense lib. I. cap. 14. de larice: Flores Laricis vere ex ramisculorum summitatibus exoriuntur, multum odorati , contra Plinii sententiam ,

tiam, qui Laricem inter tristes arbores  
recenset, nec ullo flore exilarari scripsit.  
Hi arbores suas valde ornant, quod in  
purpura ardenter rubescentes, cōmanti-  
busque foliolis miro naturae artificio an-  
nexi, viatorum oculos non parum remo-  
rantur & recreant. Sed nulli observan-  
tur flosculi, verūm ut dixi rudimenta  
tantum sunt conorum ex minutis  
squamulis compacta. Coni sunt gra-  
ciles paulò longiores cupressinis, fo-  
liosis squamulis compacti, sub quibus  
singulis invenimus binos fructus par-  
vos alatos. Materies ligni est durissi-  
ma, interior rubescit. Plinius lib. 16.  
cap. 10. ait: *Omnia autem hæc generi*  
*accensa fuligine immoda, carbonum,*  
*repente expuunt cum eruptionis crepitum,*  
*ejaculanturque longe: excepta Larice,*  
*qua nec ardet, nec carbonem facit, nec*  
*alio modo ignis vi consumitur, quam*  
*lapides. Quod & Vitruvius lib. 2. cap.*  
*9. affirmit, item Palladius lib. 12. tit. 15.*  
ait:

ait: *Larix utilissima*, ex qua si tubulos suffigas tegulis in fronte, atque extremitate tectorum, præsidium contra incendia contulisti. Neque enim flammam recipiunt, aut carbones creare possunt. Sed falsa hæc esse experientia testatur. Resinam fundit liquidam, albicanter, sed non sponte, nam caudex terebratusque ad cor est perforandus. Nascitur in Italiæ Alpibus circa Tridentum: circa Benacum & Padum fluvios, in Silesia, uti refert Fuchsius & Syvenckfeldius, & aliis locis. Sola hæc arbor inter coniferas adventante hyeme folia dejicit. Vere ex iisdem tuberculis, unde priora deciderunt, nova erumpunt. Hinc minus verè scripsit Plinius lib. 16. cap. 21. ! *Sylvestrium generis folia non decidunt abieti, lari, pinastro, junipero, cedro.*

C A P .

## CAPUT IX.

*De Cupresso.*

CUpressus Græcè dicitur κυπάρισσος vel κυπαρίστης. Gallice & Hispanice Cipres, Italice Cypresso, Germanicè Cypressenbaum. Est arbor procera, quapropter à Poëtis vocatur aëria. Martialis lib. 12. epigr. 50.  
*Daphnonas, platanos & aérias cyparisso,*

*Et non unius balnea solus habes.*

Sic Catullus de nuptiis Pelei & Thetidos :

*--- namque ille tulit radicitus altos  
 Fagos, ac recto proceras stipite laurus  
 Non sine nutanti platano, lentaque  
 sorore*

*Flammanti Phaëthonis & aëria cupresso.  
 Caudice surgit crasso, longo, fastigio  
 acuminato in metæ formam, uti testatur Ovidius 10. Metam.*

D

Ad-

*Adfuit huic turbæ metas imitata cu-  
pressus.*

Ramis compluribus in orbem cingi-  
tur. Folia habet sabinæ bacciferæ si-  
milia, viridiora tamen, longiora & te-  
retia. Ligni materies est dura, odora-  
ta, flavesrens, quæ neque cariem ne-  
que vetustatem sentit, nec fissuram  
sponte capit. Unde etiam simulacra  
Deorum olim ex cupresso factita-  
bant. Sic in arce juxta Capitolium  
erat Vejovis simulacrum ab urbis or-  
tu è cupresso, quod 551. annos dura-  
vit, uti Plinius lib. 16. cap. 40. scribit.  
Martialis etiam Priapus ex hoc ligno  
erat factus lib. 6. epigr. 49.

*Non sum de fragili dolatus ulmo,  
Nec quæstat rigida supina vena  
De ligno mibi quolibet columna est;  
Sed viva generata de cupresso:  
Quæ nec secula centies peracta  
Nec longæ cariem timet senectæ.*

*Quamobrem expetebatur etiam ad  
domos*

domos exædificandas. Virgilius 2.  
Georg.

— — — *dant utile lignum  
Naviis pinos, domibus cedrosque  
cupressosque.*

Hanc ob causam Horatius carmina sua servanda esse scribit lævi cupresso, sive capsula ex cupresso, quia opera ex illo fabrefacta cariem non sentiunt, de arte :

— — — *speramus carmina fingi  
Posse linenda cedro, & levi servanda  
cupresso.*

Unde Martialis illam perpetuam nominat lib. 6. epigr. 73.

*Sed mihi perpetua nunquam moritura  
cupresso*

*Pbidiaca rigeat mentula digna  
manu.*

Valvas in templo Dianæ Ephesiae ex hoc ligno fuisse & quadringentis prope annis durasse, materiem tamen omnem novæ similem fuisse tradidit

D 2 Plinius.

Plinius. Et quia lignum putredini  
minimè est obnoxium, eorum corpo-  
ra, qui in bello ceciderunt, arcis è  
cupresso condiderunt, uti Thucydides  
autor est. Sic Plato leges publicas sa-  
crorumque ritus ob æternam firmita-  
tem in tabulis cupressinīs scribere vo-  
luit. Videatur Rhodigin. cap. 2. 25.  
Hermippus sceptrum Jovis è cupresso  
factum fuisse prodit, ideoque Pytha-  
goreos arculis & utensilibus cupressi-  
nis abstinuisse Laërtius refert. Coni  
illi sunt lariceis ferè similes, crassio-  
res tamen, breviores & compactiores,  
qui cum maturuerint, sponte dehis-  
cunt, in quibus semen latet parvum,  
planum & tenue, ita ut non legi nisi ab  
experto homine possit, uti inquit  
Theophrastus de causis lib. I. cap. 5.  
Resinam fundit liquidam caricæ si-  
milem, sed acerrimam. Arbor est sem-  
per virens & loca amat non nisi calida,  
ideoque in orientalibus tantum re-  
gioni.

gionibus, ut in Creta, Lycia, Rhodo,  
in Cyrenensi agro & aliis provenit.  
Plutoni olim in coronas erat dicata,  
quare etiam, quia Pluto mortuorum  
Deus credebatur, aræ seu tumuli mor-  
tuorum absentium cupresso ornaban-  
tur. Virgilius 3. Aen.

*Ergo instauramus Polydoro funus, & in-  
gens*

*Aggeritur tumulo tellus, stant Man-  
bus aræ*

*Cæruleis mæstæ vittis, atraque cu-  
presso.*

Mos etiam erat apud veteres, ut for-  
bus illarum domorum, in quibus alii  
quis mortuus erat, cypressum appo-  
nerent, ne forsani Pontifex, ut inquit  
Servius 3. Aen. per ignorantiam in-  
gressus pollueretur. Sed hoc fiebat  
tantum ad domos nobilium & divi-  
tum, uti videre est ex Eucano lib. 3. de  
bello civili.

*Procumbunt orni , nodosa impellitur  
ilex ,*

*Sylvaque Dodones , & fluctibus aptior  
alnus ,*

*Et non plebejos luctus testata cupressus.*

*Quare à Poëtis vocatur invisa. Horatius lib. 2. od. 14.*

*Neque harum quas colis arborum  
Te, præter invisas cupressos  
ulla brevem Dominum sequetur.*

**I**tem funebris. Idem Epop. 5.

*Jubet cupressus funebres  
Flammis aduri Colchicis.*

**S**ic etiam feralis apud Virgilium 6.

**Aeneid.**

*Nec minus interea Misenum in littore  
Teucri*

*Flebunt , & cineri ingrato suprema fe-  
rebant.*

*Principio pinguem tedis, & robore secto  
Ingentem struxere pyram : cui frontibus  
atris*

*Intexunt latera , & ferales antè cupressos  
Con-*

*Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.*

Ex quibus patet, veteres cupressum etiam in crematione mortuorum adhibuisse, idque propter gravem, uti Varro dicit, ustrinæ nidorem, ne tetro odore abigerentur adstantes; odoris enim sui jucunditate lenit cadaveris fœtorem. Fingunt cupressum fuisse, puerum Telephi filium ab Apolline, vel, ut alii volunt, à Sylvano, sylvatum & pastorum deo amatum, qui, qvum cervum, testante Servio, quem in delitiis habebat, per ignorantiam occidisset, flendo Numinum misericordiam meruit, atque in cupressum arborem luctibus aptam conversus est, quare Sylvanum semper in manibus cupressum gestasse tradiderunt, uti testatur Virgilius i. Georg.

*Et teneram ab radice ferens Sylvane cupressum.*

## C A P U T X.

*De Agarico.*

**Q**uia Agaricus à conifera arbore venit, de illo etiam aliquid dicendum. Agaricum duplicem esse constat, arboreum nempe & fossilem, de hoc videatur Imperatus lib. 5. histor. nat. cap. 41. de illo hīc agendum est. Αγαρικός Græcè sic dicitur, uti Autores referunt, ab Agaria Sarmatiæ regione, vel ab Agaro fluvio Sarmatiæ, ex qua olim per Illyriam Venetias vebatur. Sed cuius Sarmatiæ quæritur à Casparo Hoffmanno de medicam. officin. lib. I. cap. I. §. I. Respondet: quia I. Antidot. 7. in Theriaca, Andromachi, filii, desideratur *Agaricus Ponticus*, inclino ad Asiaticam. Sed ego puto potius intelligendam esse Sarmatiam Europæam. Ptolomæus enim

enim Agarum fluvium & Agarum  
Promontorium in Sarmatiam ponit  
Europam cum lib. 3. cap. 5. fines Sar-  
matiae versus orientem describit,  
enumerat loca maritima Paludis Mae-  
tidis litoris occidentalis, quod in  
Sarmatia Europaea situm est, & ponit  
post Isthmum Tauricæ Chersonesū  
Nova mœnia, Pasiasci fluvii ostia,  
Lianum civitatem, Byci fluvii ostia,  
Acrām civitatem, Geri fluvii ostia,  
Cnemam civitatem, Agarum promon-  
torium, Agari fluvii ostia, Lucum Dei  
& alia loca usque ad ostia Tanais.  
Quod autem dicit Hoffmannus in  
Theriaca desiderari Agaricum Ponti-  
cum, nihil interest, quid enim Ponto-  
cum Sarmatia Asiatica, quia; inquit,  
Pontus à Septentrione habet mare,  
*Euxinum*, quod ipsum attingunt Sar-  
matæ Asiani. Putat scilicet Sarmatas  
Asianos Agaricum per Pontum Euxi-  
num misisse in Pontum. Nonne au-  
tem hoc etiam potuerunt Sarmatæ Eu-  
ropæi?

D §

ropæi?

ropæi? eadem enim facilitate ex Palude Mæotide per Bosphorum Cimmerium & Pontum Euxinum, aut potius ex Taurica Chersoneso per Pontum Euxinum possumus navigare usque in Pontum regionem, ac ex Sarmatia Asiatica per Pontum Euxinum in Pontum. Sed si verum est, quod scribunt nonnulli, illum etiam nasci in Galatia Asiæ, minimè opus fuit Ponticis illum ex longinquis regionibus accersere, quem ex vicinia potuerunt accipere. Et fortasse intelligitur in Theriaca Andromachi Agaricus ex Galatia, qui per Pontum regionem aliis populis est communicatus. Sed quid sit Agaricus quæritur apud Autores? Alii dicunt esse radicem, alii autem fungum in arboribus crescentem. Paulus Ægineta lib. 7. scribit: *Agaricum radix est ex arborum truncis prognata, corpore fungoso, quæ ex aëria terrestriique substantia coaluerit. Sic*

Gale-

## DE AGARICO.

¶

Galenus dicit esse radicem, nec Di-  
scoridi satis compertum fuit quid sit.  
Recenset etiam aliorum sententiam &  
scribit, aliquos putasse radicem, alias  
fungorum modo in truncis arborum  
nasci. Sed nostra ætate nullus est, qui  
non sciat Agaricum esse fungum can-  
didum & odoratum arboribus adna-  
scens. Quod & Mesue affirmat, qui  
cap. 3. de simplicibus ita scribit: *Oritur*  
*in truncis arborum magnarum vetusta-*  
*te jam putrescentium & erosarum, tan-*  
*quam earum vel apostema vel fungus.*  
Sed quibus arboribus adnascitur?  
Laricibus omnibus notum est. An  
aliis etiam? dubito. Scribit quidem  
Matthiolus etiam adnasci quercubus  
& illicibus, & Pinius lib. 16. cap. 8.  
Galliarum glandiferis arboribus il-  
lum tribuit. Scio etiam quercubus,  
illicibus & aliis arboribus adnasci fun-  
gum, sed illum loco Agarici veri usur-  
pari posse dubito. Duplicem esse

D 6

ajunt

ajunt Autores , marem & fœminam ;  
 marem rejiciunt , fœminam probant.  
 Mas est niger, longus , durus , gravis ,  
 densus & fractus ceu villos nervorum  
 ostendit, fœmina est rotunda , alba ,  
 porosa, rara, friabilis, levis, dulcis pri-  
 mo gustu, mox amara & styptica. Eli-  
 gitur itaque albissimus , levissimus ,  
 qui fractus nulos ostendit villos , ra-  
 rus & friabilis , qui gustatus primum  
 sit dulcis , mox subamarus, tandem  
 acris cum stypticitate aliqua. Repro-  
 batur nigricans, lignosus, longus, du-  
 rus & gravis.

## C A P U T X I.

*De Resinis.*

**N**On solum arbores coniferæ fun-  
 dunt resinam, quædam liquidam,  
 quædam duram , quædam utramque ,  
 sed & aliæ , uti videmus in Caranna ,  
 Coopal ,

Coopal, Elemi, Lacca, Tacamahaca,  
Thure, Terebinthina & aliis, quæ ex  
arboribus fluunt. Sed de his h̄ic non  
agendum agam tantum de resinis illis,  
quas coniferæ arbores fundunt. Est  
autem resina nihil aliud quam liquor  
pingvis & oleaginosus, qui vel sponte  
ex arboribus profluit, vel vulneratis  
illis. Resina autem promptè in oleo  
solvitur, in liquoribus aqueis nullo  
modo est solubilis. Primò agamus de  
Cedria.

Cedria vocatur & resina cedri, &  
pix ex cedro, quæ suavi odore ut fra-  
ga quasi redolet. Bellonius quidem  
asserit, cedriam ex omni resinifera ar-  
bore fieri, modo pingvis ea sit, ex la-  
rice nempe, cupresso, junipero & a-  
liis. Sed seductus forsan is est à Plinio,  
qui lib. 16. cap. ii. ita scribit: *Pix li-  
quida in Europa à teda coquitur, nava-  
libus muniendis multosque alios ad usus.  
Lignum ejus concisum, furnis undique*

D 7

igni

*igni extra circumdato fervet : primus sudor aquæ modo fluit canali : hoc in Syria Cedrium vocatur, cui tanta vis est, ut in Ægypto corpora hominum defunctorum eo perfusa serventur. Verum quidem esse potest, liquorem illum in Syria vocari cedrium. Sed Syri picem ex cedro tantum faciunt, non autem ex aliis arboribus resiniferis, quibus carent, hinc meritò liquorem illum cedrium vocant, quia venit ex cedro. Sumitur autem Cedria & Cedrium apud Autores nunc pro pice, nunc pro resina, nunc pro liquore illo, qui primum effluit, cum picem coquunt. Vocatur Cedria Græcè Κεδρά, Arabicè Kitran & Alkitran. Reliquarum arborum una plus fundit resinæ alterâ. Abies parum fundit, larix plus, pinastris etiam multum inest resinæ.*

Picea satis copiosè nobis præbet. Juniores arbores candidiorem dant resi-

resinam , quam vetustæ , sed cocturâ  
flava etiam fit albissima , quæ ita fit:  
Liquant resinam & colo transcolant, ut  
fordes secernantur , deinde in duplo  
aquæ tamdiu coqvunt , donec odorem  
amittit friabilisque & arida redditur ,  
ita ut omnis lensor sit consumptus ,  
hac coctura ex fulva & mellei coloris  
resina fit candida. Coqvunt etiam  
sine aqua in æneis cortinis, ignem pri-  
mum lentum subjiciunt , deinde ubi  
coire cœpit , ignem augent , ut sero-  
sum omne exhalet , omnem odorem  
amittat & friabilis aridaque fiat. Re-  
sinam hanc coctam Græci vocant  
*Φευκτιώ*, quasi frixam. Sed vereor,  
ne hac coctura resina multum virium  
amittat , libentius resinam sumam ,  
quæ in arboribus per se siccescit , aut  
domi seposita fit sicca , quo vetusior  
enim fit resina , eo fit siccior & friabi-  
lior , odorem tamen retinet.

Resina Laricis seu Larigna sive  
Lari-

Laricea sub nomine terebinthinæ vulgaris seu terebinthinæ simplicis ita dicta venditur. Caspar Hoffmannus scribit illam vulgo terebinthinam Venetam dici, & Venetos illam ad nos mittere sub nomine vel *Larga* vel *Lagrimo*. Sed illa, quam sub nomine *Lagrimo* Veneti vendunt, est resina ex tuberculis abietum collecta. Laricea nunquam durescit, & consistentiam habet oleo crassiore & melle liquidiorem, optima est, quæ est pura, lenta, odorata, aliquantum translucida, vitri instar, colore flava, & quæ ab intento dīgito æqualiter & contumaciiter defluit, gustu amara, odore acris, suavis & aliquantum gravis, uti inquit Cordus.

Abiegnæ resina duplex est sicca & liquida, sicca in arbore concrescit, liquida ex tuberculis, quæ inter corticem & corticem novellarum arborum apparent, & vulgò Dannblattern vocant,

cant, colligitur. Hæc dicitur quibusdam oleum abietis, & , ut scribit Hofmannus etiam terebinthina Veneta, imò, ait Hofmannus , de primatu certat, his quidem hanc præferentibus, illis illam. Autor Herbarii Lugdunensis lib. i. cap. 13. modum colligendi describit: *Tuberculis, inquit, pastores armamentarii bubuli cornu acutum fastigium sic adigunt, ut inde liquidam illam resinam excipiant, quod cum per totum diem in plurimis tuberculis moliti sunt, operæ pretium se fecisse putant, si cornu unum quatuor unciarum capax liquore illo plenum domum retulerint, quia unumquodque tuberculum unam vel alteram duntaxat guttam contineat, quo fit, ut rarior sit is liquor, majorisque pretii. Non tam lenta est & contumax, ut Larigna, sed subito abrumpitur, si intineto digito elevatur. Est præterea odoratior larigna & terebinthina.*

Picea

Picea in magna copia colligitur ex piceis arboribus, quæ etiam est duplex liquida & sicca. Ex hac pix conficitur, uti infra patebit. Pinea ex pinu fluit, quæ interdum vocatur strobilina, malè tamen, strobilina enim fluit, ex strobulis seu conis, pinea ex ipsa arbore. Coni enim quarundam arborum utique etiam fundunt resinam, sicut testatur Hofmannus, se Venetiis attulisse pomum, cui multis locis adhæsit resina. Vidi etiam saepius conis piceæ adhæsisse multum resinæ. Copiosam fundit pinus resinam, uti refert Hermolaus, Plinius tamen minimum resinæ è pinu fluere tradit lib. 16.

cap. 10. sed ille pinum cum  
larice confun-  
dit.

C A P.

CAPUT XII.

*De modo eliciendæ  
resinæ.*

T'Heophrastus lib. 9. histor. cap. 2.  
describit modum eliciendæ resinæ. *Idæi*, inquit, *ubi arboris caudicem*  
*cortice dispoliarint, quod parte solari bi-*  
*nis aut ternis à terra cubitis facere con-*  
*suevere, confluxum istuc fieri non sine*  
*teda uno cumplurimum anno affirmant.*  
*Idque cum securi detraxerint, secundo*  
*iterum anno teda locum expleri, & ter-*  
*tio pari modo. Posthac ob eam paulati-*  
*nam incisuram arborem extenuatam,*  
*putrefactamque humi facile à flatu pro-*  
*sterni, tum ejus cor extrahi (hoc enim*  
*tedam maximè præfert) nec non & ra-*  
*dicem effodi: hanc enim omnibus teda*  
*constare, ut diximus, sed hac in repro-*  
*bas quidem (ut dictum est) crebrius vul-*  
*nus*

nus accipere , deteriores vero longiori tempore post , & parte aliqua reservata , plus temporis resistere posse . Tota verò detracta minus consentaneum prorsus est , ternas tamen detractiones ejusmodi maximè arbores tolerare posse videntur . Nimirum detrahunt corticem de pinu sed quibusdam tantum partibus , pòstero anno replentur plagæ resina , quam auferunt , deinde iterum replentur resinâ , non autem ligno , quam secundo anno auferunt & sic deinceps . ut idem paulo ante disserit : Replentur cava plagarum videlicet in tantum , ut iterum resina extrabi possit . Frugalis pini anno proximo : mediocris secundo , vitiosa tertio : repletio non coitu ligni , sed incremento resine conficitur : lignum enim in hac arbore coire , iterumque unum refici nequit , sed confectione quidem resine reddi post tantum temporis solet . Plinius lib . 16 . cap . 12 . ita describit modum : Aperitur picea è parte solari , non

DE MODO ELICIENDÆ RESINÆ. 81  
non plaga sed vulnere ablati corticis,  
( hic carpitur Plinius , quod scripsit,  
aperitur picea , Theophrastus enim lo-  
quitur de pinu , sed apud nos è picea  
ut plurimum elicetur resina , ut mox  
patebit ) cum plurimum bipedati bia-  
tu , ut à terracubito cum minimum ab-  
sit. Nec corpori ipsi parcitur , ut in cæ-  
teris , quoniam assula in fructu est. Ve-  
rum hæc terræ proxima laudatur : altior  
amaritudinem affert. Postea humor  
omnis è tota confluit in bulcus. Item in  
teda. Cum id manare desinit , simili modo  
ex alia parte aperitur ac deinde alia.  
Postea tota arbor succiditur , & medulla  
eius uritur. --- Expletur autem plaga  
resina , non cortice nec cicatrice , quæ in  
hac arbore non coit. Pari modo elici-  
tur apud nos resina , sed non ex pinu ,  
quæ apud nos non crescit , sed ex pi-  
cea , quam Theophrasti abietem ma-  
rem esse puto , & supra capite 2. de-  
scripsi. Mense Mayo , decrescente luna  
ad-

ad eunt nostrates piceas & detrahunt  
corticem hoc modo : incipiunt in par-  
te superna , quâ asciâ pertingere pos-  
sunt & detrahunt corticem latitudine  
trium digitorum usque in partem  
imam , ita tamen , ut pedibus duobus  
à terra plaga absit. Deinde sinunt  
corticem in arbore latitudine unius  
circiter palmæ , & iterum tales plaga-  
gam inferunt , & sic pergunt , donec  
tota arbor ita sit sauciata. Hunc labo-  
rem vocant Gelagen / ipsas plagas au-  
tem nominant Lagen. Duobus aut  
tribus elapsis annis plagæ illæ ita sunt  
repletæ resina , ut deradere possint.  
Accingunt itaque operatores , die  
Hartßschärer / seie operi & induunt  
tunicas lineas breves , ampliores ta-  
men , ubique consutas , præter in in-  
feriore & superiore parte , hæ pertin-  
gunt ad umbilicum & resinam in ra-  
sura excipiunt , ne indusia operato-  
rum ab illa maculentur. Vocant has  
tuni-

D  
tun  
dur  
ves  
itid  
der  
vas  
tice  
vo  
inf  
ver  
mu  
po  
cu  
bu  
no  
ill  
in  
co

75  
11  
20

tunicas Harkappen. In hunc modum factæ etiam sunt tunicæ illæ breves Concionatorum nostrorum , quas itidem Harkappen vocant , quia eandem formam habent. Faciunt deinde vascula quædam seu sportulas ex cortice sorbi sylvestris , quas Eberaschen vocant, in superiore parte amplas , in inferiore acuminatas , in modum inversæ pyramidis , quas Nesten vocamus , has in terram ad latus arboris ponunt, hoc facto , deradunt resinam cultris sive radulis incurvis ancipitibus longis infixis baculis , Harkmesser nominant , quam excipiunt sportulis illis & in acervum congerunt , donec in casas , in quibus pix destillatur , convehatur.

A. Operator plagas arboribus inferens seu corticem detrahens.

B. Tunica linea brevis.

C. Sportula ex cortice sorbi sylvestris.

D. Ra-

D. Radula incurva.


E. Rasor, qui resinam deradit.


F. Hic comportat resinam.

### C A P U T   X I I I .

## *De modo conficien- dæ picis, & usu ejusdem.*

**P**Ix, ait Plinius lib. 23. cap. 1. *nihil aliud est, quam combustæ resinæ flu-*  
*xus.* Hic immerito culpatur Plinius ab Autore Herbarii Lugdunensis, quod scribat esse fluxum resinæ, quia dicunt picem non fieri ex resina. Quid autem illud est, ex quo fit pix? teda inquiunt, quasi verò in teda nulla sit resina. Ex resina itaque, quæ in teda latet, fit pix, non ex ligno, quare Hermolaus in lib. 1. Dioscorid. cap. 92. dicit: *picem esse combustæ in teda sua resinæ fluxum.* Sed pix etiam fit ex mera resina non ex teda tantum, uti mox





DE MODO CONF.PIC. & USU EJUSD. 85  
mox videbimus. Theophrastus lib. 9.  
histor. cap. 3. describit modum confi-  
ciendæ picis: *Picem, inquit, urere hunc*  
*in modum consueverunt, cum locum,*  
*& equalem præparaverint, & veluti area*  
*facta concursum habente, in medium*  
*diligenter pavimentarint, truncos per-*  
*fissos componunt. Proximè sane compo-*  
*sitioni carbonem facientium, præter-*  
*quam quod sine fossa opus perficiunt,*  
*lignis erectis & inter se cohærentibus, ita*  
*ut altitudinem assiduè pro multitudine,*  
*capiant. Quos fieri ajunt, cum compo-*  
*sitionem descripsérunt circuitu centeno-*  
*rum octuagenorum cubitorum. Altitu-*  
*dine verò cum plurimum sexagenorum,*  
*aut centenorum & quinquagenorum*  
*ambabus, si teda pingvissima sit. Cum,*  
*igitur tedam ita construxerint, & mate-*  
*riam pertexerint, aliqua terra superin-*  
*fusa undique summa cum diligentia,*  
*occultant, ut ignis nulla ex parte emicare*  
*possit. Pix enim peribit, si id acciderit.*

E                   SUC-

Succendunt autem per aditum reliquum. Deinde am quoque partem stipant materie, & obstruunt terra. Reliquaque omnes observant, & quacunque fumum protendi viderint, scalis scandentes, terram assidue infundunt, quo nullo pacto flamma erumpere possit. Canalis vero per medium structus acervum, picem fluentem in foveam dicit. Cubitis circiter quindecim ab acervo pix effluens tactu frigida fit: uritur duos dies, & totidem noctes cum plurimum. Sapè enim postridie ante solis occasum exusta jam est, rogasque cessit. Idem evenit, cum nihil reliquum est, quod amplius fluat. Totum autem tempus, quo teda uritur, vigilantes observant, ne quid ignis erumpat, & sacrificant, atque concelebrant precantes, ut pix sibi copiosa, bonaque benignitate fiat Deorum. Hoc modo ita urere Macedones ait; alio modo id fieri in Asia scribit eodem loco: *In Asia, inquit, Syros non detrahere*

DE MODO CONF.PIC.& USU EJUSD. 87  
bere teda ajunt , sed in arbore ipsa ad-  
urere instrumento in vecto quodam in-  
dustriè fabrefacto. Hoc enim partem ,  
unam accendi , qua liquefacta aliam at-  
que aliam vice pari successionis ignem re-  
cipere. Finis autem operis , & cessandi  
indictum, cum scilicet nihil defluit. Ter-  
tium modum describit Autor Herba-  
rii Lugdunensis lib. i. cap. 20. Ingen-  
tibus vasis terra defossis , laminam fer-  
ream multis foraminibus perviam , vel  
ambiente canali unctam adaptant. Su-  
per hanc furnum exstruunt , teda assula-  
tim cæsa complent , & obturant , ignem  
accensum extrorsum circumdant. Fer-  
vescens teda primum aquosum sudorem  
mittit , deinde crassiorem sudore liqui-  
dam picem.

Nostrates hoc modo procedunt:  
Faciunt in officinis suis furnum qua-  
dratum oblongum , in quo duobus fe-  
re pedibus à terra ponunt duos cana-  
les ligneos , in posteriori furni parte ,

E 2

tan-

tantum prominentes , unicuique canali imponunt tres ollas oblongas in fundo foramen digiti latitudine habentes , juxta ollas illas tria relinquent foramina, in anteriore parte pedem unum circiter alta , & plus dimidio lata , in posteriore furni parte minora sunt, quæ loco sumariorum sunt , ut eo melius ignis in foraminibus anterioribus flamمام emittat. Furno ita perfecto implet ollas illas resina & unamquamque tegunt operculo, deinde accendunt ignem in foraminibus anterioribus. Cum itaque resina calorem ignis percipit , liquefcit in ollis & per foramina ollarum pix destillat in canales subditos, per quos in posteriore parte furni effluit , canalibus ibi supponunt vasa abiegnæ , quæ *Wech-*  
*ſtōkē* vocant , aut etiam alia vascula ex cortice piceæ fabrefacta, hisce effluentem picem excipiunt , & divendunt. Si nihil amplius fluat , residuum ex ollis

D  
los  
sic  
fa  
tu  
in  
qu  
me  
inw  
ca,  
est  
tem  
niæ  
aut  
dur  
aut  
igne  
rem  
den  
sto  
stor  
diff  
cap  
dam

DE MODO CONF.PIC. & USU EJUSD. 89

los eximunt, & iterum implet resina, sicque pergunt, donec omnis resina facta sit pix. Residuum seu caput mortuum resinæ, quod Bechgrefen vocant in frusta magna quadrata cogunt, ex quibus deinde fuliginem urunt, uti mox dicemus. Cæterum pix duplex invenitur apud Autores, liquida & siccæ, liquida revera non est liquida, sed est hæc, cuius jam memini, dicitur autem liquida ad differentiam colophoniæ, quæ magis est siccæ. Optimam autem censeo esse illam, quæ secundum modum Herbarii Lugdunensis aut nostrum perficitur, hæc enim non ignem nudum, sed tantum ejus calorem experta est, estque optimè splendens, sincera, lævis, quæ à Theophrasto lib. 3. histor. cap. 10. & lib. 9. histor. cap. 2. ὡμη i. e. cruda dicitur, ad differentiam coctæ. Dioscorides lib. 1. cap. 94. & 97. vocat ὑγρὴ i. e. liquidam, ad differentiam τῆς ξηρᾶς seu

E 3 siccæ,

siccæ, quæ fit coctione. Coctio fit duplaci modo, aut igne valido & tamdiu continuato, donec omni humore, qui illam tenacem reddit, absunto sit arida & fragilis. Aut aceto, uti Plinius lib. 16. cap. II. ait, cum in cortinas æreas conjiciunt & inspissant, hæc vocatur παλιμνίσα, quasi pix bis facta. Theophrasto ἐψειθεῖσα, Dioscoridi Ποσκᾶς & Ξηρᾶ, Plinio Brutia, quæ, uti ille eodem capite scribit, lentore ab alia pice differt, item colore rutilante & quod pingvior est: *dolis duntaxat*, dicit, *vasisque ceteris utilis*. Sed lib. 24. cap. 7. oblitus est, quæ hic scripsit, ibidem enim Brutiam medicinæ utilissimam esse ait. Græcia præ cæteris Pieriam picem laudat à Pieriæ Thessaliæ monte, Asia Idæam ab Ida Troadis monte. Herbarium Lugdunense putat Virgilium præ aliis picem Narycam laudare lib. 2. Georg. dum canit:

Et

s. 3

DE MODO CONF. PIC. & USU EJUSD. 91  
Et iuvat undantem buxo spectare Cy-  
torum,

Naryciæque picis lucos.

Sed Virgilius hic non laudat pīcem Naryciam præ aliis, sed scribit tantum quasdam herbas & arbores sponte, nulla adhibita cultura provenire, ut cytisum, arbores quæ tedas ministrant, salices, genistas, buxum in Cytoro monte Puschlagoniæ & arbore resiniferas in luco prope Naryciū oppidum Locorum. Si autem alii præferet Naryciam, miror, quod Georgic. in scabie ovium adhibet Idæam, dum ita canit:

*Aut tonsum tristi contingunt corpus  
amurcâ,*

*Et spumas miscent argenti; vivaque  
sulphura,*

*Idæasque pices, & pingues unguine  
ceras,*

*Scillamque belleborosque graves, ni-  
grumque bitumen.*

F 4

Uſus

Uſus picis varius eſt, de uſu Medi-  
co jam taceo, quem alibi, ſi Deus vo-  
let, enarrabo, nunc tantum dico de  
illo, qui in quotidiana vita ab opifici-  
bus expetitur. Itali olim illâ ad dolia  
& vasa vinaria picanda uſi ſunt, mo-  
dum picandi deſcribit Columella lib.  
12. de Re Rustica cap. 18. Adhibe-  
bant itidem vasa picata ad acetum,  
ſiculneum, uti idem refert cap. 17.  
ejusd. libri. Miror noſtrates dolia  
picata non adhibere ad viña, cum ta-  
men in vicinia apud rusticum quendā  
viderim vinum ex picato dolio multò  
pretiōſius & fragrantius quam ex aliis  
doliis non picatis. Ad dolia cerevi-  
ſaria atque alia lignea vasa picanda  
adhibemus. Picamus etiam cantharos  
ligneos & alia vasa potoria lignea.  
Plinius lib. 14. cap. 1. inquit; *Picis illi-*  
*tus viño duratricem firmitatem p̄f̄stat,*  
*ne viñum corrumpatur, & ſicubi rimo-*  
*ſum vas ſit, ne transfluat.* Uſurpant in-  
ſuper

DE MODO CONF. PIC. & USU EJUSD. 93  
super ad condienda vina, musto enim  
in primo tervore aspergebant picem,  
ut odor contingat & saporis quod-  
dom acumen. Is odor & sapor Ro-  
manis olim fuit gratissimus. Talia vi-  
na vocabantur picata, Græcè ὄνυξ  
κωνίας seu μοσίτης. Adhibebant au-  
tem picem Corticatam & Nemeturi-  
cam, quæ in Liguria conficiebatur,  
modum vide apud Columellam lib.  
12. de Re Rustica cap. 22. 23. & 24.  
Dioscorides etiam scribit, quomodo  
vinum resinatum sit faciendum lib. 5.  
quod Græcis ὄνυξ πηλύτης dicitur,  
adhibet autem resinam in cortice, &  
hæc forsitan est Columellæ pix cortica-  
ta. Vina resinata in senectute fiunt  
dulcia, sed capit is dolorem & vertigi-  
nem inferunt. Utebantur præterea  
Veteres pice ad pilos in corpore evel-  
lendos, torquebant itidem flagitosos  
homines pice in corpus affusa, quod

E 5

ex

ex his Plauti versibus in Captivis ap-  
paret :

--- *Ad polbic si sapiet senex ,  
Atrapix agitet apud carnificem , tuq[ue]  
capiti illuceat.*

Usurpant etiam picem futores , & fila  
sua cannabina illa inungunt , mala-  
xantur nempe picem in aqua calida  
manibus sevo inunctis , vocant Schuh-  
pech. Coquunt insuper restiarii no-  
stri ex pice & balænæ pingvedine ,  
axungiam , qua axes & alias partes  
curruum versatiles inungimus. Ex pi-  
ce itidem & cera fit mistura illa , qua  
naves illinuntur , quo minus aqua pe-  
netrare possit. Hæc si per aliquot an-  
nos navibus adhæsit & deinde deradi-  
tur vocatur Zopissa , Græcè ζωπίσσα ,  
eligitur autem illa , quæ à vetustis &  
ruinosis navibus abraditur. Faciunt  
etiam ex pice & stupa faces longas ,  
quas Windfackeln nominant. Lutum  
quod Rütt. vocamus , ex pice & aliis  
in-

DE MODO CONF. PIC. & USU EJUSD. 97  
ingredientibus conficitur. Quid in  
machinis bellicis possit pix, sciunt illi,  
qui hactenus mala belli percepereunt,  
nec tantum hodiè in bello utuntur  
illa, sed & olim adhibuerunt. Cæsar  
cum oppidum Uxellodunum in Gal-  
lia oppugnasset, oppidani copas sevo-  
pice & scandulis impleverunt, easque  
ardentes in opera Cæsaris præcipita-  
runt. Cæsar lib. 8. de bello Gallico. Sic  
Augustus in pugna illa navalí, quæ ad  
Actium cum Antonio facta est, plures  
ollas carbone & pice refertas in ad-  
versarios conjiciebat, uti refert Lazarus  
Bayfius de re navalí ex Dione.  
Hannibal Dux Punorum in oppu-  
gnatione Sagunthi civitatis Hispaniæ  
pice usus est, sicut testatur Silius Ita-  
licus i. Punic.

*Ante omneis ductor patriis insignis in  
armis*  
*Nunc picea jaetat fumantem lampada  
flamma.*

Jo. 999

E 6

Pha-

Phalericam telam illud oblongum,  
missile, pice oblinebant & accensam  
in hostem mittebant, sicut idem in-  
nuit i. Punic.

*Armauit clausos, ac portis arcuit ho-  
stem,*

*Librari multa consueta phalarica  
dextra.*

*Horrendum visu, robor, celsisque ni-  
vose*

*Pyrenes trabs lecta jugis, cui plurima  
cuspis*

*Vix maris toleranda lues, sed cætera,  
pingvi*

*Uncata pice, atque atro circumlita sul-  
phure fumant.*

*Ad plura alia negotia adhibetur, quæ  
omnia enarrare non vacat.*

A. Anterior pars furni.

B. Pars posterior furni.

ccc. tria illa foramina, in quibus  
ignis accenditur.

ddd. tria humoria.

eee. ol-

DE MODO CONF. PIC. & USU EJUSD. 99

eee. ollæ, quæ resinâ ad destillandum implentur.

f. inversa olla, in cuius fundo est foramen, per quod pix de-  
stillatur.

ggg. opercula, quibus ollæ ope-  
riuntur.

hh. canales in posteriore parte  
fumi prominentes, per  
quos pix effluit in subiecta  
vasa.

ii. vasa lignea, quibus pix excipi-  
tur.

kk. vasa ex cortice piceæ, quibus  
itidem pix excipitur.

ll. Residuum seu caput mortuum,  
resinæ seu picis in frusta  
quadrata coactum, ex quo  
fuligo uritur.

DE WOODCRAFT. 140. De M. 33. F. 1. 15. 1. 140. De M. 33.

## CAPUT XIV.

## Defumo &amp; fuligine.

Fumum esse exhalationem tenuiorem,  
calidam & siccā, vī calorī ex cor-  
porib⁹ humidis eductam, ajunt auto-  
res. Est quidem exhalatio tenuis &  
calida, sicca autem vocatur non ideo,  
quod prorsus sit sicca nec quicquam  
humidi in se contineat, sed respectu a-  
iliarum rerum magis humidarum pot-  
est dici sicca. Videmus enim in destil-  
lationib⁹ fumo multum inesse humi-  
ditatis, uti in destillatione cornu cervi  
& tartari apparet, si enim fumus, qui  
ex illis rebus combustis exhalat intra  
vasa clauditur, tunc resolvitur in spi-  
ritus, uti vocant, qui certe non sunt  
sicci, sed omnimodo humidí, certo ar-  
gumento, non parum sed multum hu-  
miditatis inesse fumo. Sic etiam dici-

GAG

E

tur

DE FUMO ET FULIGINE. Ior  
tur illum educī ex corporibus humi-  
dis, licet non semper corpora illa hu-  
mida appareant, sed respectu aliarum  
rerum magis humidarū dicenda sint  
arida & sicca, uti cornu cervi tactu &  
respectu aridum est, sic etiam tarta-  
rus, sal exsiccatus. Quis enim dicit  
cornu cervi esse humidum aut tarta-  
rum super ignem exsiccatum esse hu-  
midum? sunt tamen certo respectu  
humida, non parum enim humidita-  
tis ex illis vī ignis elicetur. Res resi-  
nosæ autem ut ligna resinosa & resina  
ipsa plus fumi emittunt, uti videmus  
in nostris lignis ex abiete, picea & pi-  
nastro atque resinis ex hisce arboribus  
accensis, fumum enim multum atrum,  
qui gratum spirat odorem, de se mit-  
tunt, qui omnia quæ tangit, colore  
nigro tingit. Fumus alias oculis mo-  
lestus est, iisque lacrymas exprimit,  
idque fieri putant à partibus terreis  
adustisque, quæ exhalationi illi sunt,

ad-

admixtæ , quæ ubi in oculum exquisito sensu præditum incidunt , mordicationem excitant , & per attractionem materiæ , lacrymas educunt . Sed hoc minimè fieri puto à partibus terreis & adustis , quæ fumo inesse creduntur , sed potius à sale volatili , qui simul cum fumo ex rebus accensis in auram adscendit & acri sua sal sedine oculum ferit , lacrymasque elicit non per attractionem , sed quia ad partes dolentes fluxus fit humorum , uti videmus in aliis corporis partibus , quæ cum dolent , major ad illas fit fluxus humorum . Sed quod de aliis fumis hic dicitur , non de nostro fumo est intelligendum , qui enim ex resina accensa evolat , prorsus nihil detrimenti affert oculo aut ex illo elicit lacrymas , nihil enim ab hoc oculus sentit incommodi . Ex hoc fumo in magna copia colligitur fuligo , nostris Rienrauch dicta , quæ in longè dissitas regiones à nostra-

DE FUMO ET FULIGINE. 103

stratibus portatur. Miror Cardanum  
scripsisse, quod fuligo sit quædam bi-  
tuminis species, reprehenditur idcir-  
co à Scaligero Exercit. 56. qui dicit  
bitumen esse potius fuliginis speciem.  
Sed neutrum verum id esse patebit ex  
sequentī capite. Fuligo itaque nihil  
aliud est, quam fumus condensatus,  
qui illis rebus, quas attingit, adhæret.  
Concedo quidem illam fuliginem in  
se habere aliquid bituminis, quæ ex  
bituminosis rebus accensis, uti ex turf-  
fis, naphtha, lithanthracibus & aliis  
bituminosis colligitur; illi autem fuli-  
gini, quæ ex aliis rebus inflammabili-  
bus, uti lignis & in primis resina no-  
stra venit, aliquid bituminis inesse,  
aut bituminis esse speciem, prorsus  
nego. Bitumen enim est succus terræ  
lentus, tenax, dici similis, facilimè  
ignem concipiens, quod de fuligine  
nostra minimè dici  
potest.

CAP.

## CAPUT XV.

*De modo colligendæ  
fuliginis & illius usu.*

**C**aput mortuum picis, de quo supra  
cap. 13. egimus, quodque nostra-  
tes Bechgrefen vocant, minimè tan-  
quam terra inutilis, uti in aliis distilla-  
tionibus fieri solet, abjicitur, sed ex il-  
lo non parvum faciunt lucrum, dum  
ex illo fuliginem urunt, quæ in dissitas  
regiones à mercatoribus exportatur.  
Modum urendi fuliginem paucis de-  
scribere non pigebit. Ædificant in  
casa fuliginis, in der Klemrauchshütten/  
cameram quadratam undique clau-  
sam, ita ut ne rima quidem in illa re-  
linquatur, per quam fumus evolare  
potest. Cameram illam libet vocare  
obscuram, quia revera est obscura,  
non tantum quod nullum lumen in-  
trare

AAD

*Ad Cap. 15.*





## DE MODO COLLIGENDÆ FULIG. &c. 105

trare possit, sed etiam quod illam fu-  
mus & fuligo undiquaque nigram &  
obscuram reddant. Hæc undique est  
clausa, ut jam dixi, præterquam in su-  
periore parte, illa tamen minimè est  
aperta, sed sacco lineo pyramidato  
undique expanso clauditur, uti figura  
exhibit. Ad latus hujus cameræ faci-  
unt furnum oblongum humilem, in  
extrema parte foramen habentem,  
in quo residuum picis acceditur.  
Furnus interius est cavus & undique  
præter foramen illud clausus, cava<sup>t</sup>a  
furni pertingit usque in cameram ob-  
scuram. His ita fabrefactis puer qui-  
dam ante foramen furni sedens par-  
tem aliquam capitis mortui in fora-  
mine accedit, siue fere conflagrata  
est, plus addit, & ita continuat, donec  
omne sit conflagratum. Fumus inte-  
rim piceus per cavitatem furni intrat  
in cameram, qui cum exitum non in-  
venit, sublime petit, ubi sacco illi py-  
rami-

ramidato adhærescit & condensatur.  
Si itaque tantum fuliginis in sacco col-  
legerunt, quantum satis est, puer sac-  
cum baculo pulsat & ita fuliginem in  
pavimentum cameræ decutit. Hac  
deinde doliola & vascula latiuscula &  
longa, Rienrauchsfaſſer & Rienrauchs-  
butten vocant, replet & ita diven-  
dunt. Usus hujus fuliginis apud nos  
præcipuus est ædificiis nigrum indu-  
cere colorem. Pictores etiam utuntur  
ſæpiſſimè in coloribus nigris & aliis,  
ut & arcularii in coloranda lignea,  
ſupelleſtile, optimum enim præbet co-  
lorem nigrum. Plinius lib. 35. cap. 6.  
ut & alii ſcribunt, ex fuligine fieri a-  
tramentum ſcriptorium, ſed quo pacto  
id fiat, non dicunt, neque ego ſcio,  
ægerrimè enim aqueis liquoribus  
ſubigitur, facilime autem oleo. Hoc  
ſcio, typographos noſtros ex fuligine  
& oleo lini expresso coquere ſuum a-  
tramentum, quod Firniſſ vocant. An  
in

in aliis regionibus alium habeat usum,  
mihi non constat.

A. Camera obscura.

B. Saccus lineus pyramidatus, in  
quo fuligo colligitur & dein-  
de baculis decutitur.

C. Furnus oblongus per cuius ca-  
vitatem fumus intrat in ca-  
meram.

D. Foramen, in quo caput mortu-  
um picis acceditur.

E. Doliola & vascula, quæ fuli-  
gine implentur.

## CAPUT XVI.

### *De candelis ligneis.*

NOs sine lychnis vitam hanc tran-  
sigere non posse unicuique no-  
tum est, multa enim opera, quæ noctu  
aut in cellis vinariis & cerevisiariis  
aut in aliis locis opacis perficere sole-  
mus,

mus, in tenebris minime possunt perfici, sed candelis ad hæc opus est nobis. Non solum autem nos sed & veteres illis usi sunt. *Vetusissimus* autor, qui candelarum seu lucernarum meminit, est Moses. Jubet enim Dominus Mosen Exod. XXV, 37. septem facere lucernas, quas *etiam* cap. XXXVII, 23. fecit. Ad suas lucernas non solum veteres utebantur oleo olivarum, uti videre est ex eodem Mose Exod. XXVII, 20. *Præcipe*, inquit Dominus, *filiis Israël*, ut adferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, pilaque contusum, ut ardeat lucerna semper. Et Levitic. XXIV, 2. *Præcipe* *filiis Israël*, ut adferant tibi oleum de olivis purissimum contusum ad concinandum lucernas jugiter; sed & nos idem adhibemus, lucet enim egregiè, nullumque fumum tetrum edit aut odorem. Præterea adhibemus etiam ad lampadas oleum lini expressum, ut

&amp;c

& oleum feminis rapi sylvestris, quod  
Rübesaamen / apud Saxonos Winter-  
saat nominatur. Sed olea hæc malum  
spirant odorem, sic alia etiam olea ex-  
pressa uti papaveris semen usurpa-  
mus. Pinguedo balænæ, Fischthran  
etiam adhibemus in lampadibus, &  
alias pinguedines uti sevum animali-  
um, quo & veteres usi sunt. Permittit  
enim Columella lib. 2. de Re Rustica  
cap. 22. agricolis per ferias far pinse-  
re, faces incendere, candelas sebare.  
Omnium optimi lychni fiunt ex cera,  
Bitumen etiam ad lychnorum usum  
venit, uti Agricola lib. 1. de natura eo-  
rum, quæ affluunt de terra, scribit:  
Saxonum plebem rusticam, non tan-  
tum uti bitumine liquido ad lucerna-  
rum splendorem, sed inde quoque  
faces nuptiales conficere verbascicau-  
libus in ipsum intinctis. Plinius iti-  
dem testatur lib. 35. cap. 15. Agrigen-  
tinos clim in Sicilia bitumen illud li-  
qui-

?

quidum, quod fontibus supernatare solet, in usum lucernarum adhibuisse. Sic Strabo lib. 16. dicit: Babylonios bitumine liquido nigro pro oleo in lucernis uti. Sed omnes has candelas tanquam nimis caras spernunt nostri sylvicolæ & usurpant candelas ligneas, quas Schleissen vocant. Faciunt nempe longas & tenues assulas ex pinastro, harum unam accendunt & intra fissum baculum firmant, non tamen ut erecta stet, sed ad latus inclinet. Si una est conflagrata, aliam accendunt, atque iterum aliam. Hæ candelæ seu faculæ & olim fuisse in usu testatur, Virgilius lib. 1. Georg. vers. 291.

*Et quidem seros biberni ad luminis ignes*

*Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto.*

Sic forsitan & Circe assulas ex cedro nocturna in lumina ussit, uti canit, idem lib. 7. Æneid.

*tectis.*

## DE CANDELIS LIGNEIS. III

... --- --- tectisque superbis  
illrit odoratam nocturna in lumina ce-  
drum.

Putant quidem nonnulli h̄c intelligi  
oleum ex cedro, quia usus olei oliva-  
rum apud majores non fuit, præser-  
tim in Italia. Sed Virgilium tales assu-  
las ex ligno cedrino resinæ pleno in-  
telligere omnino arbitror, quas Circe  
loco candelarum usurpavit. De his  
candelis ligneis Michaël Pharetratus  
tale tetraastichon fecit:

*Rusticus ad seros hyberni luminis ignes  
Ipse sibi ferro tedas inspicat acuto,  
Nec curat, quamvis hypocausti limina,  
postes,  
Atque trabes fumo nigre, & fuligine  
fiant.*

Quod ita Germanicè quanquam mi-  
nus metricè exprimit:

Der Bauersmann im Winter sitzt /  
Und aus dem Ktenbaum Eichter spießt  
Ihm selber / davon doch wird schwartz  
Seine Stube und voller Hark.

F

CAP.

## CAPUT XVII.


*Decarbonibus & modo eos conficiendi.*

**Q**uia plerumque in nostris locis carbones ex picea, abiete & pinastro faciunt, pauca de iis differant. Quærendum autem est, quid sit carbo? Bodinus in Theatro naturæ dicit esse terram pingvem accensam, sed nulla adeat pingvedo in carbonibus cuivis illos penitus scrutanti erit obviuum. In lignis quidem resiniferis est omnino pingvedo, sed in carbonibus ex lignis illis factis prorsus nulla. Præterea carbo non est accensus, sed extintus, pruna autem, quæ differt à carbone, est accensa. Alii dicunt, carbonem esse ignem flammæ expertem, in quo plus terræ, quam aeris est. Sed de carbone non potest dici esse ignem.

In

*Ad Cap. 17.*





In carbone enim tam parum ignis est, quam in lignis aridis. Convenit hæc descriptio potius prunæ. Dico igitur quod carbo sit *lignum semiustum omni humiditate vi ignis privatum*. Carbones ad multa in vita humana sunt utilles, non solum enim culinarii sunt, sed & metallici, sine carbonibus enim metalla fundi nequeunt. Fabri ferrarii, Aurifabri, Chymici aliquique illis carere non possunt. Sunt autem varia genera carbonum, & pro diversitate materiae, ex qua illi fiunt, diversi etiam sunt, ex materia dura præstantiores fiunt, quam ex molli, sic lignum faginum, iligneum meliores nobis dat carbones quam abiegnum, diutius enim fovent ignem. Habemus insuper carbones fossiles, qui itidem pro diversitate loci, ubi eruuntur, diversi sunt, aliis enim aliis sunt meliores, ita Hannonii & Leodienses meliores sunt Scoticis, Scotici vero meliores Bohemicis.

micis. In Armenia fabri ferrarii nucleis palmæ pro carbonibus utuntur, uti scribit Strabo lib. 16. Ex turffis etiam in Hollandia faciunt carbones. Hi autem ut & fossiles accensi tetro suo vapore male afficiunt caput, inducendo nimirum céphalalgiam atque alia mala, juxta Langium lib. 1. Medic. epist. 77. *Omnia, quæ bitumen redolent, cerebro & capiti sunt infesta.* Non solum enim lithanthrax est species quædam bituminis, sed & turffæ nihil aliud sunt quam cespites bituminosæ, testante hoc Martino Schoockio in tractatu de turffis. Hoc autem de carbonibus nostris dici non potest. Si enim illi rectè sunt præparati, ita ut omnis humiditas in illis sit absumta, nec aliis humoribus sint inquinati, nullum tetur spirant odorem, nec emittunt vaporem, licet quadam tenus capiti sint graves. *Quæritur à Martino Schoockio in tractatu de turffis cap.*

DE CARBON. & MODO EOS CONF. 115  
cap. 17. unde nigredo sit in carboni-  
bus? Mocenicus institut. Controv. 4.  
part. i. cap. 29. putat nigredinem  
omnem à terreo sicco, non frigido in-  
vehi, calore aëris in partes veniente.  
Sed respondet Schoockius, si hoc ve-  
rum esset, calx & cornu cervi ustum  
etiam essent nigra. Accedit autem  
Schoockius ad sententiam Scarmilio-  
nii, qui lib 2. de calor. cap. 14. putat,  
tum opacitatis summæ, tum nigredi-  
nis esse inæqualitatem maximam, pro-  
venientem vel à terra vel ab aqua 85  
minima aëris portione: inæqualitas  
verò hæc per aduersionem in iis, quæ  
comburuntur, præ cæteris procuratur.  
Si autem hoc verum esset, plures aliæ-  
res, quæ inæqualitatem maximam ha-  
bent, essent nigræ, uti videre est in cor-  
nu cervi usto, in quo eadem inæquali-  
tas per aduersionem introducitur, quæ  
in carbonibus. Hookius Regiæ Socie-  
tatis in Anglia socius scribit, uti appa-

F 3.

ret

ret ex Ephemer. Erudit. tom. 2. ephem.  
42. nigredinem in carbonibus esse  
ab insigni pororum numero. Dicit  
enim, si corpus multos habeat poros,  
in quibus lumen non reflectitur, ne-  
cessario apparet nigrum. Sed si hoc  
esset verum, unde nigredo in carboni-  
bus subtilissimè pulverisatis? unde ni-  
gredo in carbonibus fossilibus, in la-  
pidibus fissilibus, quos Schiefer voca-  
mus & aliis lapidibus nigerrimis? cer-  
te non à pororum multitudine, sunt  
enim corpora densa & compacta.  
Subiungit quidem Autor ille nigredi-  
nen⁹ nihil aliud esse, quam privatio-  
nem luminis sive defectum reflexio-  
nis. Hoc melius explicat Robertus  
Boyle in Experimentis de coloribus  
part. 2. cap. 2. quem vide; sunt qui-  
dem non pauca, quæ illi possunt obji-  
ci. Unde enim nigredo in tinctura il-  
la gallorum & vitrioli, an etiam à su-  
perficie scabra innumeris constante  
cylin-

**D**E CARBON. & MODO EOS CONF. **iiij**  
cylindris, conis, vel pyramidibus?  
unde nigredo in panno lineo vel la-  
neo colore nigro tincto, antea albo?  
Quæritur antinctura ex gallis & vi-  
triolo facta ita superficiem lanei panni  
possit alterari, ut appareat niger? ita-  
que color niger non inhæret corpori-  
bus, sed tantum est apparens & ab ex-  
trinsecō aliquo dependet. Pannus ni-  
ger intus & in cute erit nil nisi cylin-  
dri, coni vel pyramides. Si enim dis-  
secas interius æquè est niger, ac exte-  
rius. Quid si in sectione etiam disseces  
pyramides, conos vel cylindros?  
Quæritur, an marmor nigrum exquisi-  
tissimè politum etiam habeat tales cy-  
lindros, conos vel pyramides in su-  
perficie? Gassendus in epistola qua-  
dam dicit: *Existimare par est, corpora*  
*suâpte naturâ nigra constare ex partiou-*  
*lis, quarum superficieculæ scabré sint,*  
*nec facile lucem extrorsum reflectunt.*  
Ergo quæ suâpte naturâ non sunt ni-

OTRIB

F 3

gra,

gra , ut panni tincti ex particulis talibus non constant. Sed acquiesco in sententia ingeniosissimi Boylæi, donec alius aliam & quidem meliorem in medium proferat. Fateor, me huic rei ulterius indagandæ non esse parem , nec etiam licet propter sumptuum inopiam. Sed ad modum conficiendi carbones. Carbonarii, dicit Röhler / lignum abietum, picearum aut pinastrorum, in cumulos , quos Mühler vocant, congerunt, hos cespibus undique tegunt, & accendunt , qvum itaque lignum omni humiditate est privatum, acervos totos terra operiunt, ita ut ignis suffocetur , & totus extingatur , deinde eximunt carbones & divendunt.

AAA. Acervi carbonarii.

bbb. Carbonarii , qui erumpentem ignem terra injecta prohibent.

EPISTO-

# E P I S T O L A Ad Amicum de ĀNTIMONIO.

*Temporibus medicina valet : data tem-  
pore prosunt ,  
Et data non apto tempore vina no-  
cent.*

**L**Icet hi Ovidii versiculi uti de vino  
& aliis medicamentis, ita etiam de  
Antimonio sint verissimi , Amice ca-  
rissime, tamen quidam est, qui me pro-  
pter usum Stibii Bonis quibusque, qui  
mineralia & metalla , aut quæ ex illis  
parantur remedia, non norunt , aut  
quid in medicina valeant , nesciunt,  
odiosum reddere conatur. Non desi-  
nit ille ubique locorum sinistram de-

F 5 me

me spargere famam atque dicere, me  
in omnibus fere morbis, ubi expur-  
gatione aut per vomitum aut per se-  
cessum opus sit, uti Antimonio, adeò  
ut etiam quibusdam illo medicamen-  
to plus nocumenti, quam emolumen-  
ti attulisse. Sed testor Deum, me h̄ic  
locorum nunquam medicamenta ex  
Antimonio, quæ aut vomitum cident,  
aut alyum movent, adhibuisse, non  
eam ob causam, quod Antimonium  
condemnem & prorsus ex schola Me-  
dica relegandum putem, sed propter  
calumniam, quam ab inimicis meis  
metui. Sed volui vitare Charybdin &  
ecce incidi in Scyllam. Antimonio  
diaphoretico, Bezoardico minerali,  
Cinnabari Antimonii aliisque, quæ  
sudorem movent, s̄epissimè non sine  
bono successu usus sum. Sed si bonus  
ille Antimonium norit, & qualia quan-  
taque remedia ex illo parentur, sciat,  
uti non dubito, tantumque hoc ex in-  
vidia

## EPISTOLA.

127

Vidia spargat , contra suam conscientiam agit. Sed quid faciam ? illuminé iterum convitiis insepter , an taceam ? neutrum consultum esse puto , illô enim crabrones irrito , hōc me son tem facio. Sed ut honori meo consu lam, atque Tu & alii , qui rei medicæ operam non dant , sciant , quale Antimonium sit medicamentum , virorum quorundam doctissimorum testimonia de illo afferam. Quercetanus in tetradi. cap. 31. inquit : *In Antimonio sunt sexcentæ proprietates, variae ac præstantes, ut præparantes, expurgantes, vomitiones concitantes, & id genus alia, ut nunquam satis laudari queat hoc medicamentum. Crudo attribuerunt veteres vim odstringendi, exsiccandi, meatus corporis abstruendi, excrescentias carnis obsumendi, cicatrices obducendi, oculorum ulcera & fordes mundificandi, unde & ad collyria in primis commen datur. Sunt & qui ad epilepsiam ar-*

F 6

con-

cendam exhibent, etiam in ipso paroxysmo. Franciscus Ignatius Thiermairius, Consiliarius & Medicus cubicularis Bavanicus, in schol. ad Consult. 5. ait: *Ab omni noxa Stibium rectè præparatum & debita methodo adhibitum hodiè absolvunt viri Doctissimi. --- Ego sanè, ita fidem meam testor, scio innumeros, qui, dum febribus intermittentibus, apud nos ante unum alterumve annum, solito contumacioribus laborabant, antimoniatis duntaxat curari poterant, remediis aliis fere omnibus incassum adhibitis. Ita scilicet hoc remedii genus non solum innoxium est, sed unicum subinde præsidium, quo morborum contumacia feliciter expugnatur.* Angelus Sala, qui juxta magnum Conringium primus inter chemicos nugari desiit, tum in Anatomia Antimonii, tum Aphorism. 23. sect. 2. laudes Antimonii ita prædicat: *Antimonium, tametsi id multi Medici, qui proprietates ejus juxta*

*cum*

eum ignarissimis sciunt, maledico ore  
eavillentur, dat nobis vomitorium,  
omnium, quæ à primis usque temporis-  
bus ad hanc nostram ætatem in usu fue-  
runt, efficacissimum & tutissimum, quod  
nulla symptomata venenosa producit,  
neque ullo modo corpus lœdit, nisi for-  
te an præparatum sit cum rebus, quæ no-  
cere possunt, aut administratum ab eo,  
qui medicinæ ignarus. Sed mitto alios,  
qui Antimonium summis afficiunt,  
laudibus, ut Crollium, Libavium, Pop-  
pium, Agricolam, Rulandos, Codron-  
chium, Gesnerum, Pedemontanum,  
Bovium &c. Nec curo Jacobum Gre-  
vinium, Lucam Stengelium, Bernar-  
dum Dessenium, Joannem Cratonem,  
Thomam Eraustum, Johannem Bapti-  
stam Gemmam & alios, qui contra  
Stibium scripserunt, neque etiam  
Casparum Hoffmannum, qui plura  
non sine præjudicio carpsit, multò  
minus Guidonem Patinum, Medicum

F 7

Parisi-

bossp

Parisiensem, & Carolum Sponium,  
Medicum Lugdunensem, omnium  
minime sententiam Collegii Medico-  
rum Parisiensium ante annos centum  
& decem de Antimonio latam, hi enim  
omnes aut usum & vires Antimonii  
nescierunt, aut ex nimia perversitate  
hoc fecerunt. Audi, quid hodierni  
Medici Parisienses de Antimonio sen-  
tiant. Cum enim lites inter Medicos  
quosdam de Antimonio valde inca-  
luerint, tandem ad easdem compo-  
nendas Supremæ Curiæ autoritatem  
accersi oportuit, quæ etiam conclusit,  
ut Facultas Medica deliberationis  
circa hanc materiam instituendæ gra-  
tiâ conventum iniret. Hujus igitur  
sententiæ exequendæ ergo Doctores  
Medici convenerunt, & numero qui-  
dem 102. die videlicet 29. mensis Mar-  
tii, ubi 92. fuerunt, quorum constans  
fuit sententia, poni debere inter medi-  
camenta purgantia vinum emeticum,  
quod

quod ex vitro Antimonii præparatur. Secundum horum vota etiam Facultas decretum fecit, in quo Antimonii usum approbavit , uti videre est ex Ephemerid. Eruditor. tom. 2. ephem. 24. Narrabo historiam de jam nominato Guidone Patino , quam à viro fide dignissimo accepi. Ille habebat filium ægrotantem , quem ex medio tollere volebat , (terrorem mihi incutit tale nefandum Patris in filium facinus , quod tamen ille non curavit ) huic propinavit Antimonium, & optavit , ut illud filium interficeret : sed sum venenum hominem egregiè purgavit , & omnem faburram extra corpus eliminavit , ita ut præter spem ægrotans pristinam sanitatem recuperaverit. Hoc tamen nullo modo efficit , ut Patinus ad saniorem mentem redierit. Ut autem aliquid dicant , Mischymici, scribunt, corpora nostra non ferre Antimonium propter vehe-

men-

mentiam. Sed his respondeo verbis Caspari Hoffmanni , quibus utitur contra Mesuen : *Sed ut liberè dicam quid sentio , inquit ille , videtur mihi querela esse , qualis ille mathematicorum quorundam imperitorum , cælum descendisse & esse jam proprius terra , nescio quot millibus stadiorum. Sciendum enim , unumquodque vomitivum sive ex vegetabilibus , sive mineralib⁹ præparetur , suam operationem cum molestia quadam perficere. Sed dicat aliquis , sæpius videmus , quod Antimonium ægrotantibus plus damni quam utilitatis afferat. Hoc non nego , faciunt id etiam Galenica , quæ tamen sæpiissimè adhibentur. De Colocynthide hæc habet Caspar Hoffmannus de medic. officin. Est medicamentum virofissimum & tantum non mors ipsa , ut Prophetarum filii clamant , 2. Reg. 4. Non tantum enim ναυοσόμαχον est , sed & abrasis intestinis , dysenterias facit.*

Nec

Nec tamen bene præparatam & cor-  
rectam ex schola Medica extirpat.  
Asarum violenter per vomitum ex-  
purgat. Bryonia valida est. De Hel-  
leboris dicit idem Hoffmannus, quod  
sint vehementissimi, nec careant vi-  
septica, nihilominus tamen summo-  
perè laudat. Esula vehementissimè  
purgat, nec tamen ejus usum abhor-  
rent. De Scammonio audiamus eun-  
dem Hoffmannum. *Est autem pur-  
gans, inquit, furiosum, quale Hellebo-  
rus, & si quid Helleboro uncentius. Hinc  
Oribasius scribit, omnium purgantium  
violentissimum esse. Mesue fatetur, De-  
mocritum per Anatomiam purgans  
vocasse. Hinc Helideus & sapientes  
omnes prohibent uti illo, quia deberet  
esse pro stimulo tantum leviorum pur-  
gantium. Ipsum enim acrimoniam sua  
molestem esse omnibus visceribus, quæ  
non tantum irritat ad nimiam expulsi-  
onem, sed & exulcerat. Ideò Diarrhœæ  
acci-*

*accidunt, dysenteriae, tenesmi, vomitus,*  
*borrendaque symptomata. Nec ta-*  
*men minus ille, quam alii in usum,*  
*trahunt. Ut alia vehementissima me-*  
*dicamenta, quæ tamen sæpiissimè à*  
**Galenicis usurpantur, taceam.** Sed  
*dicunt illi, hæc omnia à nobis adhi-*  
*bentur non nisi bene correcta. Idem*  
*illud etiam dico de Antimonio, non*  
*usurpatur nisi bene præparatum, opti-*  
*meque correctum. Nulli enim autor*  
*sum, ut Antimonium crudum assumat,*  
*ex illo enim nullum commodum, sed*  
*potius incommodum hauriet, totum*  
*per artem spagyricam immutandum*  
*est, ita ut in æternum reduci nequeat.*  
*Bene Dioscorides : Oportet ea, quæ*  
*pericula ferunt pervicacionibus auxiliis*  
*expugnare, & minus infesta mitioribus.*  
*Quippe absurdum fuerit in gravioribus,*  
*segnioribus medicamentis homines in*  
*discrimen adducere ; in mitioribus ve-*  
*rò, vehementium auxiliorum injuria cor-*

pws

*pus laceſſere.* Hæc verba ſemper ſunt  
obſervanda, neque unquam purga-  
tia ex Antimonio in mitioribus mor-  
bis adhibenda, ubi autem neceſſitas  
exigit, ſine metu propinanda ſunt,  
nunquam enim fallent. Absit, ut pro-  
miſcuè in omni morborum genere  
illis utendum eſſe ulli autor ſim. Nam  
*Temporibus medicina valet, data tem-  
pore proſunt,*  
*Et data non apto tempore nulla ju-  
vant.*

Quibus morbis Bezoardicum ſola-  
re Ferdinandi Sagittarii, Serenifl.  
Elector. Maximiliani, utriusque Ba-  
variæ Ducis Consiliarii & Medici Cu-  
bicularii adverſetur, & quomodo præ-  
paretur, vide ſis apud ſupra nomina-  
tum Thiermairium. Quibus morbis  
Panacæa ex Antimonio Rudolphi  
Glauberi medetur, legitur in ſecunda  
parte Pharmacop. Spagyric. ejus au-  
toris. Scio illam Sereniffimi cuius-  
dam

dam Principis Archiatrum peritissimum etiam infantibus recens natis non sine magno emolumento exhibere. **Quid valeat quinta Essentia Petri Johannis Fabri, videmus lib. 3. cap. 15. Myrothecii Spagyrici.** Sed quid opus est testimoniosis, ipse ille, qui aliorum odium in me commovere studet, Cinnabarinum Antimonii & alia ex Antimonio præparata in usu habet, illa tamen ipse non semper præparat, sed ab agyrtis & circumforaneis emit, qui tamen nunquam medicamenta genuina & rectè præparata vendunt. Bene scio, illum ante paucos annos Cinnabarinum Antimonii à tali circumforaneo emisse, & quidem minimo pretio, fuit autem impossibile, ut ille tam vili pretio Cinnabarinum illam potuerit vendere, si non fuisset aut cinnabari pectorum aut alia re adulterata. Sed videat ille, quali emolumento ægrotantium hoc fecerit. Facile illi dicam.  
scribe-

scribere & de injuriis eum accusare, possem, verum nolo ipse illas injurias ulcisci, potius vindictam summo Deo, omnium scelerum vindici justissimo relinquo, meque mansuetudine atque oleo Christianæ caritatis munio, ut talium hominum aculeos & lingvas pungentes nullo modo formidem. Det illi Deus aliam mentem, ut im posterum proximos suos fama lædere desinat. Vale Amice svavissime.

F I N I S.



11. A 10. TIBET  
29. 10. 1922. 11. 10. 1922. 12. 10. 1922.  
25. 10. 1922. 26. 10. 1922. 27. 10. 1922.  
28. 10. 1922. 29. 10. 1922. 30. 10. 1922.  
31. 10. 1922. 1. 11. 1922. 2. 11. 1922.  
3. 11. 1922. 4. 11. 1922. 5. 11. 1922.  
6. 11. 1922. 7. 11. 1922. 8. 11. 1922.  
9. 11. 1922. 10. 11. 1922. 11. 11. 1922.  
12. 11. 1922. 13. 11. 1922. 14. 11. 1922.  
15. 11. 1922. 16. 11. 1922. 17. 11. 1922.  
18. 11. 1922. 19. 11. 1922. 20. 11. 1922.  
21. 11. 1922. 22. 11. 1922. 23. 11. 1922.  
24. 11. 1922. 25. 11. 1922. 26. 11. 1922.  
27. 11. 1922. 28. 11. 1922. 29. 11. 1922.  
30. 11. 1922. 1. 12. 1922. 2. 12. 1922.  
3. 12. 1922. 4. 12. 1922. 5. 12. 1922.  
6. 12. 1922. 7. 12. 1922. 8. 12. 1922.  
9. 12. 1922. 10. 12. 1922. 11. 12. 1922.  
12. 12. 1922. 13. 12. 1922. 14. 12. 1922.  
15. 12. 1922. 16. 12. 1922. 17. 12. 1922.  
18. 12. 1922. 19. 12. 1922. 20. 12. 1922.  
21. 12. 1922. 22. 12. 1922. 23. 12. 1922.  
24. 12. 1922. 25. 12. 1922. 26. 12. 1922.  
27. 12. 1922. 28. 12. 1922. 29. 12. 1922.  
30. 12. 1922. 1. 1. 1923. 2. 1. 1923.

E E M I G

Bodan. 1310

